



# PROGRAMM,

womit

zu der auf Dienstag, den 26. März 1861, angesetzten

## öffentlichen Prüfung der Zöglinge

des

# städtischen Gymnasiums zu Danzig

ergebenst einladet

**Dr. FR. WILH. ENGELHARDT,**

Director.

Inhalt: 1) M. Terenti Varronis Eumenidum reliquiae. Rec. et adnot. Theoph. Roepel. Partic. altera.

2) Jahresbericht vom Director.

---

DANZIG,

Druck von Edwin Groening.

1861.

Aug 11 1889. 1000

M. Terenti Varronis  
E U M E N I D U M  
reliquiae.

Recensuit et adnotavit

## Theophilus Rooper.

### **Particula altera.**

Varronis Eumenidum reliquias quum ego abhinc tres annos recensere et adnotare coepisse, quo tempore in huius gymnasii Gedanensis sacrorum trisaecularium prologi mei tunc edita est pars opusculi, eodem accedit ut foras exirent et cum viris litterarum latinarum studiosis communicarentur nitidissima illa Ioannis Vahleni in M. Terentii Varronis saturarum Menipppearum reliquias coniectanea (Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri MDCCCLVIII), in quibus ille quum aliarum quarundam saturarum non modo emendare reliquias sed etiam ipsa recuperare atque ex iis quae supersunt particulis universa instaurare argumenta instituit, tum harum a pag. 168 ad pag. 190 Eumenidum fragmenta viginti quinque, — sunt autem omnia numero undequinquaginta, — expurgatis librariorum sordibus ad Stoici illius paradoxi ὅτι πᾶς ἄρρεν μάνεται sententiam et ad Horatii satirae, quae est in libro secundo tertia, Aeschylique fabulae, cui idem est nomen inscriptum Eumenides, aliquam similitudinem revocata suo quodam ordine novo disposuit, ex reliquis fragmentis extra ordinem septem vel explicit vel emendavit. Inde post paucos menses Otto Ribbeckius scripta de saturis Varronianis ad Vahlenum epistola, quam in Novi Musei Rhenani annalem XIII p. 102—130 Ritschelius recepit, perlustrans amici librum eiusdem saturae fragmenta, et hic quidem vix uno excepto omnia, reconcinnandae scilicet et ipse antiquae illius formulae ac descriptionis cupidus novo ordine a se excogitato digessit, passimque quae depravata viderentur esse corredit. Tertius ad hos accessit Franciscus Buechelerus, cuius quae eiusdem Musei eidem inserta est annali XIII p. 419—452 de saturis Varronianis commentatio, ea etsi non in singulis quibusdam versatur saturis pertractandis, sed universe disputando plurimarum locos attingit, habet tamen propter nonnullos Eumenidum locos cur non magis omitti hic a nobis debeat quam eadem de caussa Vahleni Analecta Noniana ad Frid. Theoph. Welckeri gratulationem d. XVI. m. Oct. a. MDCCCLVIII edita, in quibus Nonii librorum via ac ratione emendandorum exempla plurima e Lucili Varronisque saturarum reliquiis petivit. Atque hi viri, Bonnensis disciplinae alumni clarissimi, quum in reprobanda ratione mea, qui Varronis saturas totas versibus perscripta fuisse iudicem, prorsus consentiant, eamque partim argumentis refellere conati sint, partim etiam contumeliose explodere, ego adversus eos caussam dixi in Vindiciis Varronianis a Leutschio receptis in Philologi annales XV et XVII. Restat hoc loco, ut de Eumenidum reliquiis iis, quas in priore meae recensionis particula tractavi, illorum sententias paucis referam et si quid intersit discriminis pro virili parte conponam. Addam

quoque si qua in adnotatione critica omisi, maxime ex Nonii editione Aldina a. 1513 et Veneta a. 1492, quas tunc non adii. Est quidem earum ac praecipue Venetarum utilitas perexigua, nec tamen prorsus nulla; atque quum in Aldinae lectionis varietate adnotanda Basilienses subinde defecerit diligentia, quos tamen nolim ideo obiurgare morosius, eius quoque quae antecederet Aldinam ab illis fere neglectae non indignum visum est aliquam certe imaginem adumbrare. Denique si quid praeterea vel omissum vel commissum ~~esset~~, addendi et corrigendi occasionem oblatam praetermittere religioni habui. Sed quoniam, ut in scriptione scholastica, aliquid dandum erat chartarum angustiis, totum hoc quidquid est supplementi in ima pagina minusculis litteris describendum curavi<sup>1)</sup>. — Iam vero ad reliquam fragmentorum partem tractandam priusquam accedam, de adnotatione critica, quae vocari solet,

<sup>1)</sup> Fragmenta quae ego secundum ordinem Oehlerianum tractavi 1—11 omissa sunt a Vahleno, nisi quod de fr. 3 obiter dixit coniect. p. 190, de fr. 10 p. 187, de fr. 11 p. 186; apud Ribbeckium hic eorum ordo est: 4, 7, 1, 2, 16, 17, 18, 5, 25, 8, 9. —

In editione Aldina pro *Eumenidibus* persaepe scriptum est *eudaemonibus*, quae est communis Eumenidum et Endymionum corruptio. Ut enim Endymionum fr. 1. 2. 5. 7, sic Eumenidum fr. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 12. 18. 19. 21. 22. 24. 25. 26 (except. p. 549, 22). 28. 29. 30. 31. 32. 33 (exc. p. 392, 3). 34 (exc. p. 452, 9). 36. 37. 38. 39. 41. 42. 43. 44 (exc. p. 381, 19) 45 (exc. p. 434, 23). 47. scriptum legitur *Varro eudaemonibus*. Quae res quorsum valeat quaerentibus primum appareat facile inter se confundi potuisse nomina quae sunt *endymionibus* et *eudaemonibus*, deinde eam confusionem propter speciem quandam sanitatis in ipsa Aldina ita translatam esse in nomen quod saepe parum integre scriptum fuerat *eumenidibus*, ut iis in locis omnibus, quorum primus est p. 35, 16, ultimus p. 367, 30 ed. Merc., Aldinus ille corrector scriberet *eudaemonibus*, in reliquis, qui vel primum illum antecedunt vel hunc ultimum sequuntur, *eumenidibus*, locosque citatos ex besse falso elogium occuparet, triens vero relinquere. — In Venetis per varia compendia ubique scriptum est in *eumenidibus*.

Iam ut de singulis locis dicam, ad fr. 1 oblitus sum adnotare pro *quin* in cod. Montispessulano et ed. Aldina legi *quid*, cui mendo exempli Plautini initium originem dedit. In emendando ac dimiendo loco me secutus est Ribbeckius p. 106. — Fr. 2 Ribbeckius Mus. Rhen. XII p. 476 scriperat: *Cóntra cum psalteriis iam et cum Flóra lurcare ác strepis ut psalteriis esset e epentheticō antique dilatum e psaltriis*, quod Ritschelio tunc adprobatum quum me de eo loco scribentem praeterisset, nunc non opus est refellere, postquam XIII p. 107 mecum scripsit *cum psalte Pisia*. Quod vero iam adnotavit optionem esse inter Pisiam Cratini, quem scholiasta dicat fuisse τῶν λιαν πονηρῶν, et patrem Meletis apud Pherecratem, ubi tantummodo filius perhibetur fuisse κυθαρῳδὸς ζένιος, nescio cur perfusoriam doctrinam ostenderit. Pisiam Meletis patrem Cinesiae avum a Pherecrate ἐν Αγρίοις ap. schol. Aristoph. av. 859 commemoratum eur ego attulerim, satis aperui, alterum illum famosae improbitatis hominem ab Aristophane av. 767 atque, ut in scholiis ad eum locum proditur, a Cratino in tribus comoediis exagitatum (cfr. Meineke com. graec. II p. 114. 152 sq. 168) prudens sciens neglexi, quod musicum eum fuisse nemo dixit. Pisias nomen psaltae Varronianus praeter hos duos commune est cum tribus in Papii onomastico adlatis ac nescio an aliis pluribus, quos omnes per hunc quidem psalten missos facere licet. Sed Flora non omittenda mihi erat nobilis illis temporibus meretrix, cum aliorum clarorum virorum tum Pompeii amica, quam commemorat Plutarchus vit. Pomp. 2. 53 et, si verum vidit Seidlerus (Berichte üb. d. Verbandl. d. kön. sächs. Gesellsch. d. Wissenschaft. 1846 p. 128), Philodemus epigr. 21 = Anthol. Palat. V, 132, ubi legendum videtur σὶ δὲ Οὐπιζὴ ζεῖ Φλώρα i. e. σὶ δὲ ζαὶ Οὐπιζὴ Φλώρα; nam Φλώρα Seidlerus invenit. Atque adeo reminiscenti Philodemi cum Pisone familiaritatem quaeque de eo dicta sunt a Cicero Pis. 29, 70 itemque Seidleri conjecturam p. 130 Gabinium, Pisonis collegam, pro Geminio apud Plutarchum c. 2 inter amatores Florae referentis, in mentem venire possit ut dubitet an Pisiae nomine tecte Pisonem Varro significaverit. Adnotationi criticae meae addo, lunii et Gothofredi lectionem eandem esse quam Aldinae, ed. Venetae 1496 eandem quam ed. 1492 omniumque, ut inde suspicor, quae Aldinam aetate antecedunt; in variarum lectionum libello ed. 1583 subiuncto inveniri *Psalte Pisia et at strepis?* — Fr. 3. 4. Venetae inter se consentiunt, nisi quod ed. 1492 habet altero loco fr. 3 *homo* plene scriptum, ui etiam Aldina. Vahlenus p. 190 iure respuit Turnebi interpretationem, qui horno curari esse ait frugibus ipsius anni foveri et ali, quamquam quomodo illud in *schola* sic quoque expediri queat videor indicasse; recte idem in verbis *horno per Dionysia*, quae Scantio tribuit, *horno* adverbialiter dictum esse iudicat, Plautique et Lucilii iisdem quibus ego exemplis confirmat. Quo magis miror Ribbeckium p. 106 Turnebi interpretationem cum mea miscuisse. Scribit enim cum Turnebio et Oehlerio *curarer*, verba *curarer horno per Dionysia* Scantio adsignans, deinde adiecto fr. 4 ambos locos sic explicat: „Nach den weitschweifenden Erörterungen Röper's über die hier in Frage kommenden sachlichen Verhältnisse scheint mir folgende Deutung die wahrscheinlichste. Varro selbst erzählt, wie er mit einer griechischen Genossenschaft,

praefandum est, nullis me codicum manu scriptorum auxiliis propriis adiutum in augendis Basiliensium corrigendisque notis his antiquioribus usum esse editionibus: Nonii Venetis a. 1492 et 1496, Aldina a. 1513, Merceriana a. 1583, quam pro Iuniana habere licet, eademque in Gothofredi Auctoribus linguae latinae Genevae a. 1622 repetita, Merceriana altera ac propria a. 1614; deinde Varronis fragmentis ab Ausonio Popma editis Franekeræ a. 1589 et cum reliquis Varronis operibus Lugduni Batavorum a. 1601, indeque repetitis in editione Durdrechtana a. 1619 et Bipontina a. 1788. Virorum doctorum coniecturas a Gerlachio Rothioque et Oehlero commemoratas, quantum potui, ipse suis quasque locis recognovi, nonnullas, quae illos fugerant, adieci. His autem referendis ac, nisi quae suis se ipsa vitiis satis damnarent, breviter dijudicandis uberior accedebat disputandi materies a novissima illa, de qua ante dictum est, crisi Vahleni

vielleicht von Philosophen (mirum certe philosopho nomen Strobilos), die Dionysien gefeiert und den jungen Wein sich habe schmecken lassen. Die Pflicht der Bewirthung geht wie bei Gellius XVIII, 2 in dem Kreise herum. An Varro ist die Reihe und zum Zeichen, dass ein Cyniker das Präsidium führt, lässt er die übliche Warnung für Gäste zugleich als Motto seiner Schule auf der Schwelle anschreiben.“ Haec ille, in quibus quum alia mihi parum probentur, quae quod aut leviora sunt aut incertiora nunc omitto, tum nequè illud intellego latine id dici posse *curari horno* quod germanice *den jungen Wein sich schmecken lassen*, neque, si maxime possit, capio quam non modo venuste sed decenter is cuius esset praebitio in eo se occupatum fuisse dicat, ut ipse sic horno curaretur. Hoc tamen non inlepine excogitavit, inscriptum illud ianuae *Cave Canem*, cuius exemplum Pompeianum referre poteram ex Mommseni inscr. regn. Neapol. n. 6302, 2, ambigue ad Cynicorum referri mordacitatem. Ego quod prolixius de rebus quibusdam disserui, rem feci festinanter legentibus sane molestam, sed ad fundamenta interpretationis iacienda, ut putabam, necessarium; malui autem in re obscuriori dubitando plures tentare interpretandi vias quam, ut confidentiloqui solent, meam aliquam iactare opinionem. Numeros quod nulos agnovit Ribbeckius, quamquam fr. 4 manifesti sunt, non miror. Corrigendum denique est quod fr. 4 per calami lapsum scripsi in *ianua*, quod etsi per se quidem habet quo commendetur, nolui tamen expellere in *ianuam*, quod retinueram Philol. VIII p. 246 n. 20. — Fr. 5. Aldina quod sciam prima habet *trichinum* in lemmate et *trichinus* in exemplo Varronis, Venetae *tricinum* et *tricinus*, quod Mercerius restituit. Vocabulum a tricis derivatum quod censui, probavit quodammodo Ribbeckius, ac poteram ego addere glossam latinograecam *tricosus ἄχρεῖος*: adnotavit ille, graece tamen etiam ἔγορ τριχός dici, quasi Aristophanes pro eo quod dixit ran. 641 εἰ πόποτε ἐζλεψα τῶν σῶν ἄξιον τι καὶ τριχός dicere potuerit eadem sententia εἰ πόποτε ἐζλεψα τῶν σῶν καὶ τριχών τι. Ac numeros ego non cogam testimonium dicere; fecit enim Saturnium versum tamē: *quod tunc quaestius tricinus erat, nunc est über*, quem certe non debuit Godofredo Hermanno largiri. Nec Buechelerum reprehendo, quod eum Saturnium detrectavit p. 429, modo ne tricinum quaestum prosae dedisset. — Fr. 6. Venet. 1492 *prīmū est*. Fr. 7. Consentunt inter se Venetae. De utriusque fragmenti numeris dixi in Vindiciarum parte secunda (Philol. XVII p. 84) et tertia, quae nondum exiit. Saturnios esse posse non nego, quamquam neque hi ipsi, quos indicavit Godofr. Hermannus elem. doctr. metr. p. 640 et versus esse negavit Buechelerus p. 429, neque ii quos addidit Meinekius Zeitschr. f. d. Alterth.-Wssch. 1847 col. 740, Sexagessis fr. 6 ap. Non. III, 152 p. 216, 14 et fr. 3 ap. Non. III, 134 p. 212, 26. V, 40 p. 431, 18 aliam mensuram sive iambicam sive trochaicam respunt. Exemplum prorsus indubitatum nondum inveni. — Fr. 8. Aldina *hera* pro *heia*, item lunius et Popma, qui mire interpretatur. Idem in altera editione coniecit *culnum* non minus absurdum. *Depuvit* iam in editione Basiliensi a. 1526 legi dicitur. Versum eundem quem ego fecit Ribbeckius; scripsit autem: [satis] nunc corius úlrum tuus depávit? — *pergis?* — *heia!* diverbum faciens, cuius tamen partes vix satis inter se coire mihi videntur. Evidem unius verba esse malim credere et supplemento loco pro *satis* ponere *non satis* in hunc fere modum: [non satis] nunc corius úlrum tuus depávit? *pergis?* *heia!* ut obiurget is qui loquitur servum cum modo vapulasset ad pristinam nequitiam redeuntem, quasi germanice dicat: hat dein Fell die Peitsche jetzt nicht genug abgenutzt? treibst du's noch immer so weiter? he! — Fr. 9. Versus nunc legere malim pro senariis septenarios: . . . . . priusquam respondérem | foris nescio quis óccupat res indicare . . ; nam quod quis arguat secundum pedem occupari voce spondiaca *nescio*, excusationem ab enclisi quadam paravit Ritschelius prolegg. Trin. p. CCXXII. Ribbeckius numeros sprevit. — Fr. 10. In editionibus quae Mercerianam a. 1614 antecedunt omissum esse *athla*, Mercerium primum addidisse volui dicere, *atla* *athlaetæ* proprium est Basiliensi a. 1842. Numeros Ribbeckius non agnovit. — Fr. 11. Venetae *Patella esuriri provocat posita*. Emendationem et versus meos Ribbeckio probavi. Interpretationem Oehlerii corrigerere instituit Vahlenus p. 186, commodeque de divitum pisceanis ad mare prolatis attulit Varr. rust. III, 3, 10; addere poterat Columell. rust. VIII, 16, 5. Valer. Max. VIII, 1, 1. Macrobi. saturn. III, 15 (II, 11), 3. 6. —

atque Ribbeckii. Accedebat vero etiam numerorum cura et cura interpretationis, quae cum critici opera in his fragmentis edendis ita mihi videtur utraque esse coniuncta, ut vix paucis in locis aliquis non coniunctum adhibitarum fructus esse possit. His vero rebus ita mihi excrevit scribendi materies, quam circumcidere et ad eam, quam in praecipuis scribentium laudibus pono, brevitatem redigere vel mea ipsius quadam inscritia vel temporum angustiis prohibebar, ut hanc non *posteriorem* edere cogar intra programmati scholastici fines particulam, quae *priori* respondeat, sed *alteram*, quam tertia eademque ultima quandoque sit data opportunitate subsecutura. Sed iam praefandi finem faciam ad ipsasque Eumenidum inde a fr. 12 Oehl. reliquias tractandas aggrediar.

**12.** (28 R.) Nonius III, 57 p. 253, 5. „Capere est tollere, tenere. — . — . — . Varro Eumenidibus: *stolam calceosque muliebris propter positas capio.*“

Venetae *calceos quae*, eadem et Aldina *mulieribus*, Iunius *muliebreis*, idem et Mercerius *positos*, quos secutus est cum editore Durdrechtano Oehlerus, *posita* Ribbeckius, quod verum esse vix crediderim.

Idem ad hos numeros locum adiectis duobus de conjectura verbis rededit:

*stolám [muliebrem] cálceosque móllebris  
própter [me] posita cápio.*

Ac sane supplementis opus est ad versus recuperandos, nisi quis *stolulam* scribere malit; quo facto hi numeri trochaici existent:

. . . . *stolulam cálceosque móllebris  
própter positos cápio . . . . .*

sed dubitari potest de antiquitate vocabuli, cuius non adfertur exemplum praeter Reinard. Vulp. III, 2323: „inter sacrilegas lychnis *stolulisque gehennae* | devovere tuum bis caput octo patres.“ In additamento autem Ribbeckii displicet *muliebrem* quod et supervacaneum est et sonum habet ingratum; neque commoveor eo, ut meum quandam inventum abiiciam. Quum enim frequentissimae sint in Nonii libris lacunae ex homoeoteleuto ortae oculis librarium a simili ad simile aberrantibus, et quum credibile sit calceos foras prodeundi caussa captos fuisse, mulieres autem stolatae vix unquam videantur sine palla prodiisse in publicum, putavi locum sic legendum esse:

. . . *sto[lam átque pal]lam cálceosque móllebris  
própter positos cápio . . . . .*

H. Steinio nostro placuit:

*stol[am átque vitt]am cálceosque móllebris  
própter [re]positos cápio . . . . .*

conlatis de vitta locis Ovid. trist. II, 252. ex Pont. III, 3, 51. Ac senarios commendat fr. 13, si integer is versus est; de vitta nonnihil dubito. — In calceis mulieribus insignis fuisse videtur praeter parvitatem coloris varietas; cfr. Vopisc. vit. Aurelian. 49. Lucian. amor. 41. Apul. metam. VII, 8. VIII, 27. XI, 8. Aelian. var. hist. VII, 11. Becker Gallus II p. 105 ed. pr. III p. 9 ed. Rein.

**13.** (10 R.) Nonius XIII, 6 p. 537, 30. „Stolam veteres non honestam vestem solum, sed etiam omnem, quae corpus tegeret. — — . Varro — . Idem in Eumenidibus: *partim venusta muliebri ornat stola.*“

In Nonianis Venetae *qd' (quod) pro quae; in* omitt. Ald. et Iun. — In Varronianis editiones praeter principem et novissimam *partum*, item codex W., in quo tamen *u* radendo *i* factum, *parum* coniecit v. d. apud Rothium, in variarum lectionum libello ed. 1583 addito invenitur *partim*. Popma *partum* retinuit, post editionem Basiliensem *partim* probaverunt cum Oehlero Vahlenus p. 189 atque Ribbeckius; probo et ipse, quod et meliorum librorum auctoritate commendatur et alterum ineptum est.

Sententia imperfecta est altero membro omissa, versus senarius cum hiatu:

*partim venusta muliebri ornat stola,*

nisi quis duos facere malit dimidiatos: . . . . *partim venusta muliebri | ornat stola . . . . .*, quod non valde placet. Sustulerunt hiatum Vahlenus et Ribbeckius, alter scribendo *ornatus*, alter *ornati*, facili uterque emendatione et ad palaeographicas quae vocantur rationes probabili. Ribbeckius etiam insaniae partem caussatur, quod muliebri virorum vestitu in morem verso abolescant discrimina sexuum, quod eiusmodi est ut probari non magis quam refelli debeat; mihi quidem, quem fr. 12 aliquis se dicat stolam calceosque mulieres cepisse sanius videtur Vahleni iudicium, quocum, praelato tamen propter fr. 12 septenario, scribo:

*. . . partim venusta muliebri ornatus stola.*

*Muliebris stola* Varro ait ling. lat. VIII, 13, 28, *stolam muliebrem* ib. X, 2, 27, *mulierum stola* ib. VIII, 33, 48, ut significaret „quo induitui mulieres ut uterentur esset institutum“; item hoc loco, quod vir muliebrem vestem sibi induerat. Et Seneca de vita beata 13, 3 ubi dicit: „hoc tale est quale vir fortis *stolam* induitus“, addere poterat *muliebrem*. Nam quod citharoedi quoque stola utebantur, ut apud Varronem rust. III, 13, 3<sup>1)</sup>, et Isiaci apud Apuleium metamorph. XI, 24, et scribae Iudeorum Marc. euang. 12, 38. Luc. euang. 20, 46 ex interpr. vulgat., non magis ad rem aut certe ad hunc locum, quam quod eundem pallae usum testantur in citharoedis Cornific. ad Herenn. III, 47, 60. Ovid. fast. II, 107, in tragediis Horat. epist. II, 3, 278. Ovid. amor. II, 18, 15. III, 1, 12, vatibus Valer. Flacc. Argonaut. I, 385, denique regibus, heroibus, diis plurimi poëtarum loci. Itaque fr. 12 *stolam [muliebrem]* per se quidem non improbabili esset a Ribbeckio conjectura scriptum, nisi alia accederent incommoda, quae ad eum locum perstrinxerint, in quibus non commemoravi huc relatarum fuisse Nonium, si ita scriptum invenisset. Ad interpretationem autem Nonii quod attinet, verum est Ennium quattuor tragediarum locis stolae nomine sic usum esse, ut graecam *στολὴν* intelligi vellet, duobus hic a Nonio adlatis (Ribb. 285. 287. Vahl. 372. 373), quibus Telephus dicitur „saepius mendici *stola*“<sup>2)</sup>, duobusque aliis, quorum altero quaedam mulier „lugubri succincta est *stola*“, Non. III, 49 p. 198, 1, altero „induta fuit saeva *stola*“ Serv. ad Vergil. Aen. I, 4 (Ribb. 346. 391. Vahl. 134. 430). Et vix aliud est quod apud Lucam euang. 15, 22 pater invento qui perierat filio ait ex interpr. vulgat.: „cito proferte *stolam* primam et induite illum“. Possit etiam aliquis Euripidis adferre versus Bacch. 828, ubi Baccho dicenti ἔγω στελῶ σε Pentheus respondet τίνα στολήν; η δῆλυν; et 836 οὐκ ἀν δνναιμην δῆλυν ενδνναι στολήν. Ac Nonius quidem Varronis quoque locum in hunc sensum videtur accipi voluisse, Varro ipse non videtur; documento est superior locus fr. 12. Nec magis alterum,

<sup>1)</sup> Tibicinibus per quinquaginta minores olim datam ap. Ovid. fast. VI, 654 (648) non ita pridem Merkelius admetit.

quem sub hoc eodem lemmate Nonius attulit ex Cosmotoryne (fr. 3 Oehl.) sic scriptum: *mulieres aliam cerneret cum stola olorsyro*, al. *olysira vel olysiria*, cuius loci nescio an haec fuerit forma metrica:

*...mujeres*

<sup>1)</sup> *holopórphyro*; cím stola

nam hic quoque matrona significari videtur e Romanis eius temporis ditioribus, sive *holophorphyro* legitur cum Mercerio et var. lect. ed. 1583, sive cum Aldina Iunioque et Popma *holoserica*. Sed Ennii temporibus nondum matronale decus fuisse videtur stola; toga enim, ut ait Varro de vita populi Romani I ap. Non. XIII, 25 p. 541, 2 „olim fuit commune vestimentum et diurnum et nocturnum et muliebre et virile“, vel, ut Servius ad Vergil. Aen. I, 282, „et sexus omnis et condicio toga utebatur“. Stola matronis sumpta togam libertinis ac meretricibus relictam fuisse constat; vid. interpp. Horat. sat. I, 2, 63 et Cic. Philipp. II, 18, 44. Paulo aliter Petronius 81, 3 de homine muliebria pati consueto dicens eum ait tanquam togam virilem stolam sumpsisse. Et Antoninus quod scripsit I, 7 τὸ μὴ ἐν στολῇ κατ’ οἶκον περιπατεῖν, a muliebri stola ductum videtur, licet fortasse tunicam talarem significet, quam gestabant homines delicatores. Alii togam interpretantur, ut I, 16.

14. (13 R.). Nonius VI, 24 p. 452, 3. „Gibberum pro extanti et eminenti. Varro Eumenidibus: item tragici prodeunt cum capite libero, cum antiqua lege ac frontem superficias accedebat.“

In Nonianis ante Aldinam legebatur *Liberum*, item in varr. lectt. ed. 1583 i. e. margine Iunii, cod. W. *Libberum*. In Varronianis pro *item* ed. princeps *iter*, ed. 1480 et Venetae *iterum*, Ribbeckius *item* [*ut*]: prius *cum* om. Ald. et Iun. et Popma; *libero* iidem qui in Nonianis *liberum*, *gibbero* Ald., inde omnes; *quum* Mercerius; *et fronte* Venetae omissis quae sequuntur; *superficies* Popma, Oehlerus, Ribbeckius; *accedebant* Aldina, grammatica ratio (Madvig lat. Sprachl. 358 Anm. 3) postulare videtur *accederet*<sup>2)</sup>, quod compendio scripturae, quale est *accede't*, detorqueri poterat in *accedebat* corruptione apud Nonium non infrequenti, cuius exempla quaedam attuli Philol. VIII p. 228 et XV p. 285. Nec vero pluralem numerum Aldinae spreverim, quum corruptum illud in quo omnes libri consentiunt *superficies* vix aliter quam per dittographiam quandam confusis formis, quae sunt *superficies* et *superficia* (nam *superficium* quoque dicebant,) nasci potuisse videatur. Itaque *accedebat* natum dixerim ex *accede't* i. e. *accederent*.

Quum *prodeunt* bisyllabum esse possit (Ritschl. *prolegg.* p. CLXIV), versus vel omissa quae abest ab Ald. et Iun. praepositione *cum* sic legi possunt trochaici septenarii:

item tragici pródeunt capite qibbero.

*cum antiqua lege ad frontem superficies accéderent;*

vel admissa ea iambici septenarii:

item trágici  
prodeint cum capite gibbero cum antiqua lege ad fróntem  
supérficies accéderent . . . . .

Hos certe malim, quam trochaicum talem: . . . e item trágici prodeunt cum capite gibbero. Brevis

<sup>1)</sup> Hiatui excusationem paravit Lachmannus in Lucret. III, 941 p. 195. Steinius: *áliam cernerés* [*τρυπώσῃ*] *cum stola atque halipórphyro* [*palla*].

<sup>2)</sup> Non certe comparari cum hoc loco possunt loci Ciceronis Ligar. 1, 3 et Philipp. II, 21, 52, licet altero Madvigius opusc. acad. alt. p. 329, altero Naegelsbachius lat. Stilistik p. 529 ed. tert. particulae *cum* vim rei contrariae significandae tribuerint. Neque magis hoc referendi fuerint ii loci, quibus *cum tamen* dictum est ea fere potestate qua *et tamen*, ut Vergil. Aen. X, 509. Ovid. metam. XII, 592; nam Cicer. Mil. 25, 67 ne de lectione quidem satis constat.

illa syllaba, quam ante *item* significavi, *et* fuisse potest; alterum versum trochaicum poterit qui volet transponendis verbis efficere numerosiorem.

Gibberum caput est ille personae tragicae *όγκος*, de quo Pollux onomast. III, 3, 133: *όγκος δέ ἐστι τὸ ὑπὲρ τὸ πρόσωπον ἀνέχον εἰς ὕψος λαβδοειδῆς τὸ σχῆμα*, cuius per totum illud caput multae ab eo varietates pro ipsa personarum varietate notantur. Lucian. de saltat. 27 *πρόσωπον ὑπὲρ κεφαλῆς ἀνατεινόμενον*: cfr. eiusd. Anachars. 23.<sup>1)</sup> Superficies est quo tegitur facies<sup>2)</sup> i. e. persona, quamquam alibi sic vocatam non inveni. Antiquam legem mihi non persuasit Popma ut ad eos referendam putem, qui Thespidis poëmata egisse dicuntur „peruncti faecibus ora“ (Horat. epist. II, 3, 277. schol. Aristoph. nub. 296 Euanth. de trag. et comoed. init. p. LIV ed. Westerhov.); cuius memoriae omnis vis posita est in *τραγῳδίας* et *τραγῳδίας* confusione, nec satis convenit cum eo, quod certiori, ut arbitror, auctoritate Suidas refert v. *Θέσπις*, Thespidem fabulas egisse primum ore cerussa oblio, deinde portulaca<sup>3)</sup> tecto, tum demum personas linteas induxisse. Quibus tum personis num totum caput opertum fuerit an sola facies quum non magis sciām quam quid in ea re novatum sit ab Aeschylo, quem invenisse idem Suidas v. *Αἰσχύλος* prodit *προσωπεῖα δεινὰ καὶ χρώματι κεκριμέναι ἔχειν τοὺς τραγικούς*, dum alii omnino Aeschylum primum personae repertorem faciunt (Horat. ib. 278. Euanth. ib.), alii Choerilum (Suid. v. *Χοιρίλος Αθηναῖος*), alii certe muliebris Phrynicum (Suid. v. *Φρύνικος*), alii denique ipsum Thespidem (Diomed. art. gramm. III. p. 487, 25 K.)<sup>4)</sup>: ne ad eas quidem Varronis antiquam legem pertinuisse crediderim. Apud Romanos autem etiamsi verum sit quod narrat Zonaras XII, 32, priusquam scenici personas excogitassen, fculnis foliis (*θρίοις*) velatos dicteria versibus iambicis protulisse, unde *θριάμβῳ* nomen; ea res non magis ad tragicos actores referri debet, quam quod Festus v. personata p. 217 M. scribit Atellanos proprie vocari solitos personatos, quia ius esset iis non cogi in scena ponere personam, quod ceteris histrionibus pati necesse esset; quamquam ipsam quidem rem non satis intellego quo iure nonnulli in dubium vocarint. Ea sane in re potest falsus esse Festus vel ipse, cuius libros contraxit, Verrius, quod Naevii fabulam Personatam inscriptam putavit, quod esset propter inopiam comoedorum acta nova per Atellanos, qui proprie vocarentur personati, quum denominationis ratio postulare videatur, ut aliquas in ea mulieris nescio quum ob caussam personatae partes fuisse existimemus<sup>5)</sup>; verum quod negat Personatam inscriptam fuisse eo quod primum vel prima acta esset ab histrionibus personatis, et post multos annos ait comoedos et tragoedos personis uti coepisse, fidem faciunt viro antiquitatis Romanae peritissimo alia quaedam veterum scriptorum testimonia. Quod enim legitur apud Donatum frgm. de tragoedia et comoedia p. LVIII ed. Westerhov.: „personati primi egisse dicuntur comoediā Cincius Faliscus, tragoediā Minucius Prothymus“,<sup>6)</sup> quum is Minucius Prothymus in Adelphis Terentii, ut est in eius fabulae didascalia, secundas egerit, quam-

<sup>1)</sup> Paullo aliter *όγκον* describit Winckelmannus Sendschr. v. d. Hercul. Entdeckungen p. 49 opp. ed. Fernow. t. II. De persona quadam tragica cfr. opp. V p. 40. 352. 615.

<sup>2)</sup> Quod tegit, superius est; quod tegitur, inferius: vid. quae dixi ad Hippolyt. phil. I, 6 in Philologo VII p. 611.

<sup>3)</sup> Quod legitur schol. Aristoph. eq. 523 *ἐχριότο δὲ βατράχῳ τὸ πρόσωπα ποὺν ἐπινοηθῆναι καὶ τὰ προσωπεῖα*, nisi commentum est interpretis, ad solam Magnetis *Βατράχου* pertinere puto, quo florente personae comicae nondum fuerint inventae.

<sup>4)</sup> Seclusit tamen ibi verba *a Thespide* nuper Aug. Reifferscheidius Sueton. reliq. p. 6.

<sup>5)</sup> Ipsius fabulae compositionem personae usum postulasse coniecit Regelius Archiv f. Philol. u. Paedag. III p. 21. Quod si sic intellegendum est, personae aliquod momentum fuisse in ipso fabulae arguento, fabulam Personatam nominandam fuisse puto, ut eiusdem Naevii Carbonariam, Corollariam, Nervolariam, Testiculariam, Tuniculariam, alias; quo de genere dixit Ritschelius parerg. p. 139 sqq.

<sup>6)</sup> Correxii nomina. Poterat tamen etiam Protimus viro nomen esse.

actam esse fabulam Donatus in praefatione ait agentibus L. Ambivio et L. Turpione<sup>1)</sup>, qui cum gregibus suis etiam tum personati agerent: id qualemcumque est, certe eiusmodi est, ut Terentii potissimum tempore personarum usus apud histriones increbuisse videatur. Nec vero iam tum obtinuisse; siquidem Phormionis, quae tamen acta est anno ante Adelphos, versus 210 et 211 (1, 4, 32 sq.)<sup>2)</sup> recte iudicant non potuisse dici Antiphone personato. Quid? etiam septuaginta annis post L. Crassum Cicero de orat. III, 59, 221 dicentem facit senes Romanos personatum ne Roscium quidem magno opere laudasse<sup>3)</sup>. Sed veteres illae personae, quibus Terentii aetate uti cooperunt, quales fuerint vel quo iure personarum nomine appellatae, forsitan aliquis coniiciat ex verbis Diomedis art. grammatis. III p. 489 K., quae nunc Suetonio vindicantur: „antea itaque *galearibus* non personis utebantur, ut qualitas coloris indicium ficeret aetatis, cum essent aut albi aut nigri aut rufi. personis vero uti primus coepit Roscius Gallus, praecipuus histrio, quod oculis perversis<sup>4)</sup> erat nec satis decorus in personis nisi parasitus pronuntiabat“, vel potius ut legendum vidit Reuvensis collectan. litterar. p. 10, „nec satis decorus nisi personatus pronuntiabat.“<sup>5)</sup> In quibus etsi dubitari potest quam recte *galearibus* a Keilio scriptum sit propter libros, in quibus est *galeribus* et *galerileribus*, pro eo quod legebatur *galeris*, quoniam albi nigri rufi non alba nigra rufa fuisse dicuntur, ad rem tamen nihil interest, properea quod galearia a galearum, ut ait Paulus exc. Fest. p. 96 M., similitudine dicta non modo aliquem in scena usum habuisse significat Charisius instit. gramm. I p. 80 K. hoc afferens exemplum:

<sup>1)</sup> Corrupta esse nomina multis apparuit, sed incertam emendationem facit idem Donatus ad Ter. Hec. prol. pr. v. 1.

<sup>2)</sup> Alter Boettigerus explicuit eum locum in commentatione de personis scenicis vulgo larvis inscripta. p. 12 sqq. opuscc. lat. p. 231 sqq., artificiosius, puto, quam verius.

<sup>3)</sup> Quod Grysarus dixit Allgem. Schulzg. 1832 c. 325 eumque secutus Friedlaenderus in Marquardti Hdb. d. röm. Alterth. III p. 544, videri etiam Ciceronis aetate histriones nonnumquam non personatos egisse, propterea quod in Aesopo ardorem voltuum se vidisse profiteatur Cicero de divinat. I, 37, 80, ipse refellit Cicero eo quod de orat. II, 46, 193 Antonium dicentem fecit: „saepe ipse vidi, ut ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur“. Seneca autem quod scribit epist. 11, 5 artifices scenicos verecundiam imitantes deicere voltum, verba submittere, figere in terram oculos et deprimere, nihil est in his quod non possint etiam personati facere; illud vero quod subiicit: „ruborem sibi exprimere non possunt“, nescio quomodo non ineptum sit si sit dictum de personatis. Tragoedos intellexit Welckerus d. griech. Tragöd. p. 1445, 3, mimos Friedlaenderus I. 1.; ad illos convenit verecundiae habitus, ab his est alienus; tragicae personae granditatem testificatur Phaedrus fab. I, 7, Sencae fere aequalis, ac Neronem tragedias cantasse personatum scribunt Suetonius Ner. 21 et Cassius Dio LXIII, 9, 22, ut omittam testatum non modo a Quintiliano et Juvenale verum etiam a Prudentio personae usum; contra mimos sine personis egisse ait Friedlaenderus p. 548 auctoritate usus Grysari, Sitzungsberichte d. kais. Akad. d. Wissenschafts-, philos.-hist. Cl. XII p. 265. 270, qui tamen nec ipse aliud attulit eius sententiae argumentum, quam quod negat mimi personam usquam commemorari, neglecto Favore archimimo, quem in funere Vespasiani personam eius tulisse atque, ut erat mos, facta ac dicta vivi imitatum esse narrat Suetonius Vesp. 19. Nec certe, quum, quas aliquis agit partes, eam ferre personam dicatur, Favor ille videtur recte agere potuisse Vespasianum, — sic enim interpretatur p. 269 „die Person desselben vorstellen“, — nisi ipsa eius induta persona noscendum continuo sese praebuisset; nec omnino in ipsa actione mimica quidquam infuisse, quod personae usum excluderet potius quam admireret aut postularet. Atque etiam Publili Syri mimographi celeberrimi ille versiculus „heredis fetus sub persona risus est“ ap. Gell. XVII, 14, 4 et Macrob. II, 7, 11 (Rbh. 187) habet quo non alienum fuisse a mimis personarum usum suadeat ut putemus. Sed hac quidem de re si est amplius quaerendum, Sencae verba nescio an eam habeant interpretationem, ut non tam ad certum quoddam fabularum scenicarum genus referenda videantur quam ad privata illa spectacula, qualia fuerunt florente etiamtum Seneca Neronis Juvenalia, de quibus cfr. Tacit. ann. XIII, 15. Cass. Dion. LXI, 19 sqq. et imprimis illud c. 19 οὐαὶ ἐπιειδὴ γέ τινες αὐτῶν προσωπεῖα ἐν' εἰσχώντης ἵνα μὴ γνωρίζωνται περιέθεντο, περιεῖλεν αὐτά. Boettigerus de sexcentis veterum scriptorum locis, quos narrat p. 230, vellem paucos attulisset.

<sup>4)</sup> Ita Keilius scripsit eumque secutus Reifferscheidius p. 11 secundum Cicer. nat. deor. I, 28, 79; in codd. est *eversis*, in edd. *obversis*. Eversi oculi si dici potuerunt qui essent prominentiores vel, ut Ulpianus dixit in Digest. XXI, 1, 12, 2 eminentes, certe id vitium facilius quam straborum perversitas persona tegebatur.

<sup>5)</sup> Langius vindic. trag. rom. p. 43 „sine personis nisi parasitus pronuntiabat“. Regelius p. 20 „nec satis decorus. In personis nisi parasitus pronuntiabat“, sola interpunctione mutata. Cfr. Ouwens ap. Boett. p. 221.

„Varro de actione scenica II haec galaria“, sed a galeris, de quibus doctissime exposuit Salmasius ad Tertullian. de pallio p. 316 sqq., ne diversa quidem fuisse ex eodem Charisii de hac voce loco glossisque ab Hildebrando ad glossarii a se editi pag. 152 sq. congestis colligitur. Galeros autem quum non modo caput i. e. capillos, ut flavus ille Messalinae galerus ap. Iuvenal. 6, 120, sed etiam faciei partem vel frontem texisse intellegamus ex Cornelii Severi versiculo ap. Charis. I. eod. „flavo protexerat ora galero“; ante Roscium si qui erat actoribus personarum sive superficerum usus, eae sane non videntur potuisse nisi ad frontem accedere. Sunt quidem Diomedis verba eo loco posita quo de comoediae generibus disserit, ut dubitari possit an ad tragicas personas non debeant pariter referri; neque tamen ea cum iis quae proxime vel antecedunt vel sequuntur conexa sunt, nec illud „antea itaque“ prorsus habet quo pertineat, ut potius ipse hic locus non possit non mutilatus videri sive a librariis sive ab ipso, ut puto, Diomede Suetoniana compilante et, quod Suetonius universam de personis disputationem cum comoediae historia coniunxisset, electa sua hoc potissimum loco interponente<sup>1)</sup>. Utut est, si tragicci quoque actores aliquando galeris usi sunt, id quod nunc non video cur negandum sit, non poterant habere simul „caput et os coperimento personae“, ut Gavii Bassi ap. Gell. V, 7, 2 verbis utar, „tectum undique“, cui indumento quod collectam coactamque in unum tantummodo exitum vocem clarescere et resonare faceret nomen proprie factum est personae, augente resonantiam duriori quadam materia, quae etiam frangeretur, si quando pede lapsus in scena histrio procideret (Lucian. gall. 26). Fuit enim lignea, si<sup>2)</sup> Prudentium audimus dicentem contr. Symmach. II, 646:

ut tragicus cantor ligno tegit ora cavato,  
grande aliquod cuius per hiatum crimen anhelet<sup>3)</sup>.

Nam cretea persona, de qua verba facit Lucretius IIII, 297, scenica sit necne dubitari potest, similiterque figlina illa, de qua est epigramma Martialis XIV, 176, quam certe cum Lucretiana commodius comparare poterat Creechius, quam creteam vel potius cretatam faciem nescio cuius Sertoriae Antholog. lat. III, 223 Burmann. 994 Meyer. Ac Macrobius quidem saturn. VII, 14, 7 quum eadem de re disserens, de qua illo loco Lucretius, exemplo utatur persona histrionica, ut cretea illa Lucretius, fictilibus personis usos esse histriones videtur attestari, creteaeque convenit „personae pallentis hiatus“ apud Iuvenalem III, 176, nisi quis dicat ligneam quoque dealbari potuisse. Sed personas extremis tegularum imbricibus inpositas fectorum opera commemorat Plinius nat. hist. XXXV, 12, 43, personas ex quarum rostris aqua salire solet in villis Ulpianus libr. XXXII ad edictum Digest. XVIII, 1, 17, 10, personas marmoreas vel coctiles mortuis indui solitas Winckelmannus Sendschr. v. d. Hercul. Entdeckungen p. 89 opp. t. II;<sup>4)</sup> atque omnino varius ac multiplex fuit apud veteres usus personarum (cfr. Boettiger üb. d. Maske, Kleine Schriften ed. Sillig III p. 407 sqq.); ut suboriatur dubitatio utrum Macrobii Lucretii locum male interpretatus sit an nos Macrobii. Verum hauc quidem quaestionem non possumus nisi strictim et in transcursu attingere. Ad propositum ut redeamus, personis illis proprie dictis et a personando adpellari creditis<sup>5)</sup> ligneis ac fortasse creteis uti videtur

<sup>1)</sup> Similiter de eo loco iudicavit Reifferscheidius p. 375.

<sup>2)</sup> Ut omittam rustica illa ap. Verg. georg. II, 387 „ora corticibus horrenda cavatis“.

<sup>3)</sup> Altero versu imitatus est Persium sat. 1, 14.

<sup>4)</sup> De personarum in funeribus usu quae idem adnotavit ad suam artis antiquae historiam opp. VI, 2 p. 259 sumpta videntur ab Herodian. IIII, 2, 19, quae qui narrat vix dubium esse potest quin originem traxerint ex iis quae de cereis maiorum imaginibus relata leguntur apud Polybium VI, 53. De mimo in Vespasiani funere eius personam ferente cfr. p. 8 n. 3.

<sup>5)</sup> Non potest autem personae nomen re vera factum esse a personando, non propter syllabae in nomine productae in verbo correptae differentiam, quae eadem est in vocis et tegulae nominibus vocandi et tegendi verbis; sed quod ipsum

coepisse ad Graecum morem Roscius; eas autem, quibus ante Roscium utebantur primum in Atellanis iuvenes ingenui, deinde a Terentii inde tempore etiam histriones, sive linteas sive alia ex materia molliori factas et ad frontem tantum galero caput tegente accedentes Varro, quod non tam essent voci colligendae sonoque augendo quam obtegenda faciei accommodatae, superficies quam personas dicere maluit. In quo vocabulo usurpando aut consuetudinem sermonis secutus est, cuius ut alia nunc non inveniantur exempla casu factum sit, aut propriam quamdam rationem, quemadmodum unus omnium, quod quidem sciam, larvam pro persona dixit Horatius sat. I, 5, 64.

Sed aliter locum interpretati esse videntur I. Kuhnus ad Poll. III, 133 et Gisb. Cuperus apotheos. Homer. p. 82 scribentes ὄγζον illum personae tragicae, quem Pollux describit, a Varrone dici superficiem, quorum sententiam probarunt I. G. Schneiderus in indice scriptt. rei rust. v. superficies (t. III p. 353) et Boettigerus in commentatione quam inscrispsit Tragische Masken und Tempel der Alten (Kleine Schriften ed. Sillig. t. I) p. 284. Hi igitur sic videntur interpretati esse hoc quod ad frontem accessisse superficies dicitur, ut ea accessione auctam et quasi exaltatam frontem intellegent, quam Varro ridicule caput gibberum diceret; particulae autem *quum* vim non esse cum oppositione concessivam sed mere caussalem, antiquam denique legem esse illud sive Aeschyli sive alias nescio cuius institutum, quo quondam personae tragicae frons ὄγζον illo exaggeraretur. *Accedebat* autem quod legitur in libris quo pacto ferendum putaverint non video; pro quo aut *accedat* scribendum erat aut *accesserit*, quorum alterum ut facile restituitur ita ad numeros vix satis quadrat, alterum est numerosius, sed a librorum auctoritate longius recedit. Sunt vero in hac interpretatione etiam plura quae mihi quidem minus probabilia videantur. Ac primum quidem ipsa superficie denominatio ab eo quod sit supra faciem et sit quasi *das Ueberantlitz* quod vocabulum finxit Boettigerus, nescio an rei naturae parum conveniat, nec facies latine ita pro persona dicitur, ut graece πρόσωπον dici potest τὸ πρόσωπεῖον. Deinde Varro quum capite gibbero tragicos prodire diceret salse atque ridicule, frigidum erat ipsius rei, perinde ac si historiam siberet, ex antiquitate caussam repetere potius, quam ab antiqua sanitate quantum ea res degenerasset more suo notare. Porro antiquam legem non videtur dicturus fuisse eam quam cummaxime sequerentur homines licet multis ante annis constitutam, sed quam olim, quum sua ipsius aetate esset per desuetudinem abrogata. Denique si qua res accedere ad aliquid ita dicitur, ut id ad quod accedit augeri ea re dicatur, in eo quantitatis notio insit necesse est, velut si dixisset superficiem accessisse ad altitudinem frontis; nunc quum frons dicatur simpliciter, eaque faciei pars cum capite comparetur, nihil nisi locus ad quem pertineret superficies videtur determinari.

Neque vero magis eam probaverim interpretationem quam I. M. Gesnerus significavit in Thesauro v. superficies. Frontem esse ait quasi aream, cui inaedificatus sit tutulus aliquis. Dicitur enim latine superficies vel superficium ita, ut distinguatur a solo vel area, quae sit terrae quasi facies quaedam, quidquid super eam faciem extat, velut stirpes et arbores, praecipue autem aedificia, ut adparet ex locis

---

nomen exstitit iis temporibus, quibus nullus esset usus personarum ad augendam vocis resonantiam factarum, ut Naevii, cuius fabulae cuidam nomen fuit Personatae, Plautique, qui Coreui. 192 (1, 3, 36) usus est pro convicio nomine diminutivo persollae, quasi larvulam diceret. Itaque probabilior mihi videtur eorum sententia, qui a graeco nomine quod est πρόσωπον ductum et antiqua Itali ci oris tarditate atque contumacia corruptum existimant, qualia sunt Proserpina, Catamitus, alcedo, atriplex, vaccinium, alia; quo de genere cfr. Müller ad Paul. exc. Fest. p. 7, 16. Ritschl Mus. Rh. XII p. 108. De Catamito erravit Corssenus Ausspr. Vokal. u. Beton. d. lat. Spr. II p. 227. Saepius invenitur id nomen, quam quod scripturae mendo quamvis vetusto debeatur. Neque in talibus transumendis naturalem illam sequebantur legem mutandorum elementorum sed indoctam quamdam saepe ac popularem captationem veriloquii; cfr. Ern. Foerstemann in Ztschr. f. vergleich. Sprachforschung I p. 3. 13 sqq.

Cicer. ad Attic. III, 1, 7. Liv. V, 54, 2. Columell. rust. I, 5, 9 multisque ICtorum Iavoleni, Iuliani, Pomponii, Gaii, Ulpiani locis, qui vel adlati sunt in Gesneri Forcellinique ac Schelleri lexicis vel addi adlati possunt. Videtur igitur superficiem interpretari tutulum aliquem hic a Varrone dici. „Tutulum vocari aiunt“, verba sunt Festi p. 355 M., „flaminicarum capitum ornamentum, quod fiat vitta purpurea innixa crinibus et extructum in altitudinem. quidam pilleum lanatum forma metali figuratum, quo flamines ac pontifices utantur, eodem nomine vocari. Ennius: libaque factores argaeos et [tutulatos]“. Varro ling. lat. VII, 3, 44 adlati eodem Enni versu: Tutulati dicti ii qui in sacris in capitibus habere solent ut metam; id tutulus appellatus ab eo quod matres familias crines convolutos ad verticem capitum quos habent uti<sup>1)</sup> velatos<sup>2)</sup> dicebantur tutuli, sive ab eo quod id tuendi causa capilli siebat, sive ab eo quod altissimum in urbe quod est arx<sup>3)</sup> tutissimum vocatur.“ Servius ad Vergil. Aen. II, 682: „Suetonius tria genera pilleorum dixit quibus sacerdotes utuntur, apicem tutulum galerum; sed apicem pilleum sutable circa medium virga eminente, tutulum pilleum lanatum metae figura, galerum pilleum ex pelle hostiae caesae“. Tertullianus de pallio c. 4 extr. p. 56 sq. Salm.: „pallium super omnes exuvias et peplos augusta vestis, superque omnes apices et tutulos sacerdos suggestus“. Inscriptio Henzen 6285 = Mommsen I. R. N 6841 = Gruter p. DLXIX, 5: „Aponiae Successae a tutul. ornatr. C. Batoni Epigonus atriensis“. Nonius I, 68 p. 19, 15: „Truam veteres a terendo quam nos diminutive trullam dicimus appellari voluerunt. Pomponius Pannuceatis: mulier ubi aspergit tam mirifice tutulatam truam“ (v. 96 Rbb.). Hi fere sunt veterum scriptorum de tutulo loci praeter Pauli epitomen et Fulgentii figmenta<sup>4)</sup>. Iam Gesnerus quem dixit tutulum aliquem fronti velut areae inaeditatum, non pileum sacerdotalem<sup>5)</sup>, sed matronale capitum ornamentum videtur intellegi voluisse, cui tamen eandem quam pilei formam ab initio fuisse, id est metae similem, ipsa nominis communitas et ridicula apud Pomponium truae ad eam similitudinem factae denominatio suadent ut credamus. Quamquam hac quoque in re, ut fere fit in cultu feminarum, quin usus nonnihil variaverit vix est quod dubitetur, quum praesertim ex inscriptione illa adpareat, ne posteris quidem temporibus, quod quis ex Varronis Festique locis coniiciat, tutuli usu quasdam abstinuisse; ut stare videantur posse quae de eo ornamento dixerunt Boettigerus in Sabina I p. 151. II p. 249 et Reinius ad Beckeri Gallum t. III p. 151. Neque vero dissimulo, quum haud ita raro in titulis commemoretur ornatrices sine ulla peculiaris artificii distinctione<sup>6)</sup>, hoc quod adiectum hac in inscriptione est „a tutul.“ efficere ut suspicer, non commune id omnium mansisse mulierum ornamentum, sed certarum quarundam ac solarum fortasse, ut olim fuerat, flaminicarum, ideoque ut rite construeretur proprio ac singulari ornaticis ad id potissimum exercitatae vel a magistro institutae (Marcian. instit. VII in Digest. XXXII, 1, 65, 3) opus fuisse artificio. Verum etiamsi

<sup>1)</sup> Gisb. Cuperus observat. III, 9 et Dacerius ad Festi locum *reti*, O. Müllerus *vitta*.

<sup>2)</sup> Scaliger coniecit *elatos*; idem paullo ante *apicibus* pro *capitibus*.

<sup>3)</sup> Satis incertum est illud quod scribitur *arx* ne libris quidem addicentibus, quorum vestigia legens conieci Varronem scripsisse *apud veteres tuticum vocatur*.

<sup>4)</sup> Ad Fulgentii locum cfr. Henschel ad Du Cang. gloss med. et inf. latin. v. *tutulus*.

<sup>5)</sup> De quo nonnulla dixi lucubr. pontif. primit. p. 10, quibus addere poteram galerum pontificibus proprium tribui ab Apuleio mag. 22, album galerum flamini Diali a Varrone ap. Gell. X, 15, 32; de apice flaminum, nominatim Quirinalis, Augustin. civit. Dei II, 15. Etiam gentes a pileis illis denominatae sunt Apicia, Galeria, Tutilia.

<sup>6)</sup> Gruter. p. DLXXIX, 1. 3. 4. MCXVIII, 2. Orell. 1320. 2878. 2933. 4212. 4443. 4715. Mommsen. 6868. Apud Mommsen 6381 est ornatrix puerorum, 6867 ornator glabr. = Gruter. DLXXVIII, 8 = Orell. 694; apud Gruterum p. DLXXIX, 2 „Ossa Iuliae Liviae Aug. auriculae ornatrix.“ Haec esse videtur quae a Boettigero Sabin. II p. 147 „ab auricula ornatrix“ citatur e Grut. DXIX, 2. 3. Est vero titulus ex Ursinianis, id est spurius aut certe suspectus. — Ornatrix Ovid. amor. I, 14, 16. art. amat. III, 239. Sueton. Claudi. 40. Paul. exc. Fest. v. acus p. 9 M. Macrob. sat. II, 5, 7. Digest. XXXII, 1, 65.

non is secundum Gesnerum intellegendus sit qui proprie dicebatur tutulus, sed alius aliquis celsae frontis honor suggestusquae comae, ut Statii verbis utar silv. I, 2, 114, qualia capilli e fronte in altum extrecti ornamenta describunt Juvenalis sat. 6, 500 sqq. Tertullianus de cult. femin. II, 7. Prudentius psychomach. 183 sqq. aliique quorum de locis cfr. Salmasius ad Tertull. de pall. p. 246. Handius ad Stat. silv. I, 2, 114<sup>1)</sup>: haeret tamen nihil setius huius de quo scribimus loci Varroniani interpretatio. Potuerit enim, quod vereor ut potuerit, hic esse sensus vocabuli quod est superficies; nonne in altitudinem omnia illa extrui dieuntur ornamenta? quo igitur pacto eadem ad frontem accedere dici queunt, cui quidquid erat capillamenti non poterat non continuari? an accedit ad frontem, quod escendit e fronte? Addi autem, si quis hoc sensu accedere dictum velit, multo etiam minus apte dictus esset ad frontem tutulus aliquis, quam ille de quo ante disputavimus personae tragicae ὄγκος. Neque vero quae sit in tali interpretatione antiquae legis ratio satis videor intellegere, neque quae caussa, cur a tragicorum capite gibbero subito ad illud matronale ornamentum minime scenicum Varro devertatur. Atque hoc postremum quidem incommodum vitavit Ribbeckius scribendo *item ut tragicci*; hanc nimurum insaniae speciem interpretans adferri a Varrone, quod matronas tutulatas tragicis personatis similes dicat incedere: die Frauen aber mit ihren tutuli gehen einher wie tragische Schauspieler in der Maske. Verum ut prior versiculus intellegi in hanc sententiam possit, alter eadem de caussa quam paullo ante exposui non potest. Quae certe sic superficies qua antiqua lege quam ad frontem accesserit aut non curavit Ribbeckius aut nollem divinandum reliquisset. Itaque censeo non loqui Varronem nisi de personis scenicis et ὄγκον illum graecanicum non ita pridem inductum cum antiquo breviorum personarum apud Romanos usu comparare. Commemoranda autem eius rei occasionem facile dabant ipsae, quarum in hac satira partes alias esse voluit et a quibus saturam denominavit, Eumenides.

**15.** (14 R.). Nonius XVI, 8 p. 549, 12: „Ostrinam ad ostri colorem, qui est subrubeus. — . Varro Eumenidibus: *aurorat ostrinam hic indutus supparum*.“ Idem XIII, 20 p. 540, 14: Supparum est linteum femorale usque ad talos pendens, dictum quod subtus appareat. — . — . Varro Eumenidibus: *hic indutus supparum, Coronam ex auro et gemmis fulgentem gerit*“. Idem XII, 6 p. 520, 2: Affici malis tantum consuetudo praesumpsit, cum sit positum et bonis. — . Varro Eumenidibus: *coronam ex auro et gemmis fulgentem gerit, Luce locum afficiens*.

Loco primo edd. Nonii ante Mercerium *aurora ostrinum*, codd. W. et L. man. sec. *aurora tonstrinam*, mscr. Iac. Susii *aurorat ostrinum*, de coniectura *aurorae ostrinum* Scaliger in Catalectis et Popma<sup>2)</sup> et qui Anthologiam Latinam ediderunt, *aurora ostrinum sic induta vel aurora ut ostrinum hic indutus* Heinsius in Addendis Antholog. Lat. Burmann. I p. 721, *aurorai ostrinum hic' indutus* Wakefieldus ad Lucret. III, 78, *aurorae at ostrinum hic indutus* Oehlerus, denique *aurora ut ostrinum haec induta* Ribbeckius; Venet. 1496 *suparum priore loco*, Lambinus ad Plaut. Epid. 2, 2, 48 *supparo*. Loco tertio *fulgentibus* mscr. Fabri, *polum* Heinsius, *adficisci Popma*<sup>3)</sup>, *inficiens* Wakefieldus.

<sup>1)</sup> Huc referas etiam Varronis Virgulae divinae fr. 10 ap. Porphyr. in Horat. sat. I, 8, 48 his versiculis conceptum:  
... ego nunc póstulo Agamemnóna meum:  
tantis cothurnis accipit Critónia  
caliéndrum . . . . .

Vides veteres cosmetas non minus magnifice adpellasse scitamenta sua quam hodiernos; plura eius moris exempla invenies in collyriorum et emplastrorum nominibus apud Galenum. *Agamemnóna meum* pronuntiationem habet ridicule affectatam; et quum verba *tantis c. a. C. caliéndrum* septenarium efficiant, factum esse potest, ut Varro mutatis numeris a senariis ad septenarios transiret.

<sup>2)</sup> Sic ed. Lugd. 1601; ed. Franeker. 1589 *aurora ostrinam*, Durdr. et Bipont. *aurorae austrinum*.

<sup>3)</sup> Sic ed. Lugd., rell. *afficiens*.

Mihi vera videtur esse Susii lectio *aurorat ostrinum*<sup>1)</sup>, verbo nove quidem factio a Varrone nec tamen aut absone aut invenuste. Et multa ille novavit his in saturis, multa eodem fere tempore Laevius (Gell. XVIII, 7), Matius (id. XV, 25. XX, 9), Laberius (id. XVI, 7), multa aliis alii temporibus longe plurimi, quorum exempla congesta sunt a Nonio in illo cap. II de honeste et nove veterum dictis. Multa huius generis figmenta poetarum in communium litterarum usum numquam recepta, grammaticorum glossariis condita, sero tandem atque emortua paene lingua Latina imitatorum studiis focillata revixerunt. „Aurora“, Varro inquit ling. lat. VII, 5, 83, „dicitur ante solis ortum ab eo quod ab igni solis tum *aureo aer aurescit*“. Neque hoc aurescendi verbum qui iterarit inventus est quisquam ante eum qui scripsit Miracula S. Martialis tom. V Iun. p. 554 b: „sic paululum *aurescente* coelo obdormivit“ (Carpenter. ad Du Cange s. v.). Ab aurora ducto verbo dixit Aldhelmus de virginitate c. 30: „cum evangelii splendor *auroresceret*“ Pervagata est glossa: „*aurorans*, illuminans,“ addito in Amplonensi etiam: „colore rutilo“; vid. Hildebrand. p. 24; item in glossario Ang. Maii class. auct. VIII p. 56: „*aurorare*, illuminare, clarificare, irradicare“ i. e. „irradiare;“ in glossario latinogermanico Diefenbachii s. v.: „*aurorare*, verluchten, verlichten“. Atque ut purpurandi et rutilandi verba eadem sunt activa et neutra, ita Henschelius ad Du Cange v. aurorare attulit Ruodlieb fr. 6 v. 11: „*aurorante* die populus convenit ubique“. Potest igitur per se quidem, ut Iunius Susii lectionem interpretatur, *aurorat* esse i. q. *diescit* sive *lucescit*; hoc tamen loco quum ad illum referatur qui ostruum indutus est supparum, dici ille videtur tamquam aurora quaedam purpureo rubore exsplendescere. Atque quum huius saturae partem aliquam ad dei Serapidis religionem pertinuisse certis quibusdam reliquiis constet (fr. 16. 17. 18. 20. 27 Oehl. 10—13 Vahl. 29—33 Ribb.), hoc loco eius dei imaginem describi puto, cuius πορφυρὸν χιτῶνα interpretabantur esse τοῦ δεδυκότος ὑπὸ γῆν φωτὸς σύμβολον, ut legitur apud Eusebium praepar. euang. III, 11, 20, cuiusque caput radiatum cernitur depictum ap. Montfaucon antiquité expliquée supplém. II pl. 42 p. 150 sq. Visconti Museo Pio-Clementino III tav. 3, 6. VI tav. 15. Winckelmann. opp. ed. Meyer et Schulze III t. 5 A. et quos laudavit O. Müller Handb. d. Archäologie d. Kunst §. 408 n. 2. De Serapi pro Sole habito cfr. Schwenck Mythol. d. Aegypt. p. 273. Preller röm. Mythol. p. 726. Ian. ad Macrob. sat. I, 20, 13. Habentque cur huc referantur ea quae de Serapis et Solis consalutatione in eius dei apud Alexandriam templo factitata memoriae prodita sunt<sup>2)</sup>, quorum si magnificentia in minoribus templis repraesentari non potuit, fuisse tamen in his quoque eorum simile satis credibile est.

<sup>1)</sup> *Ostrinam* feminina terminatione et in Varronis hunc locum et in Nonii lemma inrepsit e Turpili exemplo: *intérea aspexit virginem | iniéctam* (p. 539, 25 instántem), *in capite riculam indutam óstrinam*. Quem locum non debebant tentare editores transpositionibus verborum, scilicet ut paenultima vocis *ostrinam* produceretur, quemadmodum produxit Propertius I, 14, 20. II, 22 (28), 26. III, 11 (II, 13), 7. Licebat enim poetae eandem, ut in vocabulo graeco, corripere

<sup>2)</sup> Iuvat transcribere verba Rufini hist. eccles. II, 23: „In hac (aede) simulacrum Serapis ita erat vastum, ut dextra unum parietem, alterum laeva perstringeret“ (cfr. Apion ap. Plin. nat. hist. XXXVII, 5, 19); „quod monstrum ex omnibus generibus metallorum lignorumque compositum ferebatur. Interioris delubri parietes laminis primo aureis vestiti, super has argenteis, ad postremum aereis habebantur, quae munimento pretiosioribus metallis forent. Erant etiam quaedam ad stuporem admirationemque videntium dolis et arte composita. Fenestra per exigua ab ortu solis ita erat aptata, ut die qua fuerat institutum simulacrum Solis ad Serapin salutandum introferri diligenter temporibus observatis ingredientie simulacro radius solis per eandem fenestram directus os et labra Serapidis illustraret, ita ut inspectante populo osculo salutatus Serapis videretur a Sole. Erat et aliud fraudis genus huiusmodi. Natura lapidis Magnetis huius virtutis esse perhibetur, ut ad se rapiat et attrahat ferrum. Signum Solis ad hoc ipsum ex ferro subtilissimo (?) manu artificis fuerat fabricatum, ut lapis, cuius naturam ferrum ad se trahere diximus, desuper in laquearibus fixus, cum temperate sub ipso radio ad libram esset positum simulacrum et vi naturali ad se raperet ferrum, assurrexisse populo simulacrum et in aëre pendere videretur. Et ne hoc lapsu praeproprio proderetur, ministri fallacie, Surrexit, aiebant, Sol, ut valedicens Serapi discedat ad propria.“

E vv. dd. coniecturis primum spernendi sunt Wakefieldi conatus, quum neque *aurorai* elisionem admittat, qua de re exposuerunt Naekius opusc. I p. 181 sqq. atque etiam multo uberius Lachmannus in Lucret. III, 374 p. 158 sqq., neque *inficiens* scribi potuerit nisi ab eo, qui quo lemmate Nonius locum attulisset nihil curaret. Omnino autem genetivus ille sive *aurorai* Wakefieldanus sive *aurorae* Scaligeranus ab eo quod sequitur *ostrinum supparum* vix poterit recte ita suspendi, ut intellegatur purpureum supparum, sive supparus dicetur melius, aurorae simile vel quale sit deae Aurora, qua ratione nostratisbus sane liceat dicere: angethan mit dem Purpurkleide der Morgenröthe. Nec igitur Oehlerum laudaverim scribentem *aurorae at*, quo servata quae est in optimis libris littera *t* hiatum quidem Scaligeranae lectionis explevit, alterum vero quod tetigi incommodum ita non sustulit, ut etiam novum adiiceret particula adversativa, cuius si quis in hac oratione usus erat, dici debuit: *at hic aurorae ostrinum indutus supparum*. Heinsius quum scripsit *aurora ostrinum sic induita supparum* auroraeque dedit coronam ex auro et gemmis fulgentem, scripsit quidem quod poëta dignum esset qui lucis ortum orationis luminibus illustraret, neque adeo sic non potuit quin *locum* mutaret in *polum* poëtarum more pro caelo dictum; sed ut omittam mutatorum multitudinem, omittam vix credibilem in hac satira ipsius aurorae descriptionem, tamen nec masculini quod est *hic indutus* fidem dupli memoria firmatam videtur elevare debuisse, et *sic pro hic* positum nescio quomodo friget, velut si quae antecesserit de deae comptu quodam narratio. Quod vero idem proposuit *aurora ut ostrinum hic indutus supparum*, est id quidem a tentata librorum fide aliquanto modestius, sed vereor ut postposita nomini suo particula *ut* ferri extra hexametros atque lyricos versus possit; nam Naevii quidem e Lycуро versus ap. Non. II, 691 p. 159, 7 *sine ferro pecua manibus ut ad mortem meant* quomodo emendandus sit incertum est, certum non vidisse verum Ribbeckium quum scriberet v. 49 *sine terrore pecua ut ad mortem meant* (Trag. lat. reliq. p. 10 cfr. p. 433). Itaque idem Ribbeckius quod hunc Varronis locum sic refinxit *aurora ut ostrinum haec induita supparum*, duplíciter a veri similitudine aberrasse mihi videtur. Interpretatur autem mulierum notari insaniam, quae nimbo (Isidor. origg. XVIII, 31, 2) caput ornarent purpureumque gererent ricinium. In quo quum id etiam magis reprehendendum sit quod cum supparo ricinium confudit praeter ipsius Varronis auctoritatem supparum induitui ricinium amictui fuisse docentis ling. lat. V, 30, 131. 132, quam quod de nimbo fidem habuit Isidoro confuse loquenti (cfr. Arnob. adv. nation. II, 41. Claudian. de consul. Mall. Theod. 118), tum illud minime ferendum est, quod vanissimae de loci sententia opinacioni tantum dedit ut ne sanissimis quidem verbis ac bis testatis parceret. Quid quod ne hoc quidem excusare potest, supparum esse vestimentum muliebre? Neque enim minus muliebria erant stola et palla, quas tamen a virorum habitu non omnino alienas fuisse ad fr. 13 adnotavimus. Sic, quod huic loco ad Serapim potissimum referendo faveat, apud Tibullum I, 7, 46 Osiridi, cuius fere locum occupasse in Occidentis regionibus Serapim constat<sup>1)</sup>, tribuitur fusa ad teneros lutea palla pedes et Tyriae vestes; apud Apuleium metam. XI, 24 Isiaco ad instar Solis exornato ex humeris dependebat pone tergum talorum tenus pretiosa chlamyda, quae olympiaca stola nuncupabatur. Non fuisse autem a supparo pallam genere diversam docent Varronis verba ling. lat. V, 30, 31: „indutui alterum quod subtus, a quo subucula, alterum quod supra, a quo supparus, nisi id quod item dicunt Osce: alterius generis item duo, unum quod foris ac palam, palla; alterum quod intus, a quo intusum“. Supparum autem, de quo laudant Gisb. Cuper. observ. III, 17, recte videmur interpretari tunicam talarem eandemque fortasse etiam manicatam. Nam quod apud Nonium scriptum est supparum esse linteum femorale,

<sup>1)</sup> Diserte Minucius Felix Octav. 21: „inanem tui Serapidis sive Osiridis tumulum“. Plutarch. de Is. et Osir. 28 βέλτιον δὲ τὸν Ὀσιρίν εἰς ταῦτα συράγειν τῷ Αἰτούσῳ τῷ τὸν Ὀσιρίδι τὸν Σάραπιν. Cfr. c. 61.

aut errasse Nonium puto aut pro *femorale* legendum esse *humeralē* sive *umerale*. In Onomastico vetere latinograeco est „*supparium ἐφεστοῖς*“ et „*supparus περιώμιον*“ Priscian. instit. V, 8, 42 p. 169 H. „*supparus περιώμιον* et hoc *supparum*.“ Lucan. Pharsal. II, 364 „*humeris haerentia primis suppara nudatos cingunt angusta lacertos.*“ Ad quem locum accommodata est Papiae glossa, quam in suis ad DuCangii glossarium additamentis Benedictini attulerunt s. v., qua *suparum* esse dicitur „*lineum brachiale puellarum*,“ uti Nonium secutus videtur Odo in carm. de varia fortuna Ernesti Ducis Bavar. ap. Marten anecd. III c. 345: „*fluitantque per imos suppares talos*; alii vero Paulum a quo Festi locus nunc lacunosus Ursinique ac Mülleri additamentis parum probabiliter suppletus hunc in modum breviatus est: „*Supparus vestimentum puellare lineum, quod et subucula id est camisia dicitur*; cfr. schol. Lucan. III, 364. V, 429. Du Cange v. *camisia* c. suppl., Diefenbach glossar. lat. german. v. *suparus*. Quippe usitatum est mediae atque infitiae latinitatis scriptoribus, ut raris atque apud ipsos iam veteres prope obsoletis vocabulis suam orationem velut flosculis quibusdam ac luminibus distinguant, auctoritate in iis usurpandis freti grammaticorum ac glossographorum, velut Gellii, Nonii, Pauli, Isidori. Apud ipsos autem veteres de *supparo* ne Varroni quidem cum Festo i. e. Verrio, — nam *camisia* quidem Pauli est, — videmus satis convenire, quorum alter eandem dixit esse *subuculam* (Fest: „*supparus | . . . . . vestimen | . . . . . ubucula ap-*“), alter diversam. Nomen cum re ab Oscis Romam translatum videtur, quod et Varro ipse *supparum* item Osce dictum tradit et Atellanarum scriptor Novius in Paedio fabula (Ribb. fr. 3 v. 70) ap. Non. I. l. *supparum purum Veliensem*<sup>1)</sup> commemorat. Mentionem *suppari* praeterea fecerunt Plautus Epidic. 2, 2, 48<sup>2)</sup> et Afranius in Epistulæ versiculo ap. Non. et Paul. I. l.<sup>3)</sup> (Ribb. fr. 12 v. 123); nam de Naevii Titiniique apud ipsum Festum locis omnia dubia sunt; denique incertus poeta cuius sunt „*verba Achillis in parthenone dum tubam Diomedis audisset*“ v. 23 (Antholog. lat. Burn. I, 89. Meyer 695. Wernsdorf poet. lat. minor. IV, 9). Illud quoque adnotabo: quum eiusmodi tunicas talares ac manicatas Romae non gestarent viri nisi delicatuli isti ac luxuriosi, ut intellegitur ex locis Gell. VI (VII), 12. Cicer. Catilin. II, 10, 22. Verr. V, 13, 31. 33, 86. in Clod. et Cur. 5, 1. Horat. sat. I, 2, 25. Senec. controv. II, 14, 2 all.<sup>4)</sup>, eaedem vero barbaris propriae fuisse saepe dicantur, ut Afris Plaut. Poen. 5, 5, 19. 24 (cfr. Verg. Aen. VIII, 724), Phrygibus Verg. Aen. IX, 616, Phoenicibus Herodian. V, 5, 21 (cfr. Stat. Theb. VII, 614 sqq.), quemadmodum dalmatica ab hominum dissolutorum luxu in sacerdotale apud Christianos decus abiit (Lamprid. vit. Commod. 8. Capitolin. vit. Pertin. 8. Lamprid. vit. Heliogab. 26.<sup>5)</sup> Isidor. origg. XVIII, 22, 9. cfr. Ferrar. de re vestiar. III, 9. Du Cange gloss. lat. v. *dalmatica*), ita non esse mirum si, qui habitus apud Italos ac Romanos muliebris erat et viris probrosus, idem apud exteris ac barbaras gentes non modo omnino honestus esse sed deorum potissimum antistites ipsosque deos decere videretur; quique hic apud Varronem describitur ornatus, quem Serapidis i. e. dei pro Sole a quibusdam habiti esse putavi<sup>6)</sup>, eum convenire cum ornatu eo quem fuisse scribit Herodianus hist. V, 3, 13 Bassiani

<sup>1)</sup> „*Velenensis tunica est quae affertur ex insulis*“. Isidor. origg. XVIII, 22, 21, quod quale sit non adsequor. Hinc tamen etiam *Velenense* apud Novium coniecerunt legendum Lipsius (epist. quaest. III, 19) et Munkius. Cod. Guelf. 2 „*Verenensis*“

<sup>2)</sup> Rud. 181 (1, 2, 91) probatior lectio est *vesperi es quam supparis*.

<sup>3)</sup> Item ap. schol. Lucan. III, 364 e cod. Voss II, ubi pro *sī* quum legatur *nisi*, quaeri potest, an legendum sit: „*puella non sum, supparo ni induta sum?*“

<sup>4)</sup> Augustinus de doctrina Christiana III, 12: „*talares et manicatas tunicas habere apnd veteres Romanos flagitium erat; nunc autem honesto loco natis, cum tunicati sunt, non eas habere flagitium est.*“

<sup>5)</sup> Ac fortasse Trebell. vit. Claud. 17.

<sup>6)</sup> In deum Aegyptium id quoque convenire putavi, quod linteum fuisse vestimentum *supparum* grammatici scribunt.

Elagabali quum sacerdos Solis Emeseni procederet σχήμασι βαρβάρω χιτῶνας χρυσοῦφεῖς καὶ ἀλουργεῖς χειριδωτοὺς καὶ ποδῆρεις ἀνεζωσμένους, τὰ τε σκέλη σκέπτονται πάντα ἀπὸ ὄνυχων ἐς μηροὺς ἐσθῆταις δόμοίως χρυσῷ καὶ πορφύρᾳ πεποιημέναις, τὴν τε κεφαλὴν ἐκόσμει στέφανος λίθων πολυτελῶν χροιᾷ διηγθισμένος. — Supparus autem an suparus rectius scribatur, in ancipiti est. Pluribus quidem in locis librisque pp scriptum invenitur quam p; adeo tamen simplici litterae adfinitas siparri, de quo cfr. Hildebrand ad Apul. metam. X, 29 p. 961, et graecus σίφαρος (Arrian. Epictet. III, 2, 18. Hesych. s. v.), qui et ipse est latine supparum vel sipharum vel sipharum, quo nomine nautae adpellitabant id veli in summo malo genus, quod Topsegel vel Bramsegel apud nostrates vocatur (Lucan. V, 429 c. schol. Isidor. origg. XVIII, 3, 4. Fest. p. 310. 340 M. Senec. Med. 328. Herc. Oet. 699. Senec. epist. 77, 1. Stat. silv. III, 2, 27. Fest. Avien. Arat. 761. Front. epist. ad Antonin. I, 2 p. 147 ed. Rom. 1823<sup>1)</sup>), conferrique iubetur I. G. Schneider additam. ad Xenoph. Hell. V, 2, 27), ad quod accedunt siphara illa vexillorum et cantabrorum quas crucum stolas vestesve dicit Tertullianus apologet. 16. ad nation. I, 2: nisi forte suparum scribere quidam maluerunt, quod supra induebatur, ut est apud Varro ling. lat. I. 1., unde superale, superaria, camisia superanea ac fortasse etiam superficium apud mediae latinitatis scriptores simile quoddam vestimenti genus nominabatur. Sed supparum nescio an tueatur Plautus, qui quum Epidic. 2, 2, 47 sqq. varia tunicarum muliebrium genera ridicule enumeret, v. 48 habet: *supparum aut sub nimiam*<sup>“</sup>; quamquam enim in postrema voce est quaedam species similitudinis cum hoc de quo quaerimus Varro ostrino supparo ostrinaque tunica Propertii II, 28, 26, et comparari potest e Festi laciniis „sup]parum puni[ceum“, rectius tamen, ut puto, apud Nonium p. 539, 10 legitur: *supparum aut sub nimium est*, cavillante poëta in homonymo quod sit quasi *subparum* dictum, quum veriori adpellatione dicendum sit *subnimium*. Sed haec ipsa de supparo quae disputavi iam vereor ne plus quam subnimia videantur.

Versus iam pridem digessit Scaliger in hunc modum:

*aurórat ostrinum hic indutus supparum,  
corónam ex auro et gémmis fulgentem gerit,  
luce locum afficiens;*

ut tertii versus quod superest utrum penthemimeres heroicum sit an iambicum in incerto habeatur. Et per se quidem praestat numeros continuari iambicos, sunt tamen ii dissolutiores, quam qui ad superiorum versuum gravitatem accedant; nec desunt metri in hoc poematis genere subito mutati exempla, ut Petron. 5 et Varr. Endym. fr. 5. "Or. λύρ. fr. 6, quibus de locis alibi dixi. Ribbeckius tertium versum ab initio mutilatum statuens continuatis iambis scripsit:

. . . . . lucei locum  
afficiens.

Ego luci, luci claro, cum luci, cum primo luci, ablativos temporales, itemque *in luci* veteres dixisse scio, *luci afficere aliquem vel aliquid* qui veterum dixerit nemo innotuit.

**16.** (12 V. 29 R.) Nonius VII, 104 p. 480, 26. „Precantur. Varro Euminidibus: *ego medicina Serapi utor, cottidie precantur, intellego recte scriptum esse Delfis: Theo Hera.*“

Venetae om. *cottidie*, eaedem *delphisteo horas*, ed. 1496 *precatur*. Ed. 1583 *rectum*. In margine Iunii legitur *Serapidis*; Turnebus advers. IIII, 8 scripsit *a Serapi*, item Popma; apud illum' etiam est *precatur* pro *precantur*, pro quo Popma coniecit *preco ter* et aliquanto ineptius *prae*canturio

<sup>1)</sup> Manil. astron. V, 49 ed. Scaliger. *sipara*, sed Jacobus cum Bentleio *Persida*.

citans nimirum Serapidis *ἱμυρῳδοὺς* apud Porphyr. de abstin. IV, 9, quos alias etiam *ῷδοὺς* et *παιανιστὰς* vocari adnotavit Rhoerius; Vahlenus et Ribbeckius *precant*. Denique Popma *ΘΕΩ EPA*, Turnebus *Θεῷ ἡρῷ* (sic mendose ed. Genev. 1604) seu potius cum Bentino *Ἡρῷ*, improbante illud Iunio, qui *Θεοῦ ἐρᾷ*, quod quid sit non intellego, vel potius *Θεῷ ἐρῶ* legi volebat, i. e. „deum precare, ut respondeat priori dicto“; Oehlerus autem non dubitavit restituere *ΘΕΩ HPA* i. e. *Θεῷ ἡρῷ*, subaudiens *γέλε*, cui mire adstipulati sunt Goettingius in commentatione germanice scripta de litteris Delphicis Berichte üb. d. Verhandl. d. k. sächs. Gesellsch. d. Wissensch. 1847 p. 308, Vahlenus p. 179, Ribbeckius p. 110. *Eumenidibus, quotidie, intelligo, scriptum, Delphis* qui scripserint, non opus est referri.

Mihi in hoc loco multa obscura sunt, ac ne illud quidem quod Vahlenus etiam per abruptam sententiam dispici ait, castigari sacerdotum Serapidis fallaciam et avaritiam, qui credulos istos, qui se curari a deo cupiant, nummis eludant, quocum fere convenit Oehlero et Ribbeckio, ex ipsis verbis satis certo mihi videtur colligi posse. Sed videamus de singulis. *Serapi* quaeritur qui sit casus. Potest enim genetivus esse, ut in titulo Puteolano ap. Mommsen. inscr. regn. Neap. 2458 col. 1 l. 6 „ante aedem Serapi“ et apud Apuleium metam. XI, 28 „*Sarapi* principalis dei orgiis“ et Cornelium Nepotem 15, 1, 1 „Epaminondas Polymni filius Thebanus“; potest esse dativus, vocativus, ablative. Ac dativi quidem usus hic est nullus; vocativum fecerunt cum Oehlero Vahlenus et Ribbeckius, cuius sententiam Vahlenus, nam reliqui nihil attulerunt, ita explicuit, ut illud *medicina utor* sic ei visum sit accipendum, ut non distet ab his *indigeo medicina, mihi opus est medicina*. Tametsi vero, quod ille ait, *usus est* apud Plautum et Terentium et alios quosdam veteres scriptores saepius usurpatum pro eo quod vulgo dicitur *opus est*, tamen ipsum *utendi* verbum in eandem sententiam usurpatum esse nullo, quod quidem sciām, loco conprobatur. Nam Plautinum illud in Trinummo 258 „*apage amor, non places, nil te utor*“, non magis hanc significationem habere potest quam quod Cicero scripsit epist. ad fam. V, 20: „*sane moleste tuli, non illa beneficia tuae potius ambitioni reservata esse quam meae, qui ambitione nihil uterer*“; et si maxime possit, multo minus inter se distant *non utor* et *mihi non opus est* quam *utor* et *mihi opus est*. Ego, si vocativus sit, putaverim scripsisse Varronem: *Ego medicina te, Serapi, utor*, quae fere eadem sententia est ac si ablative sit *Serapi*, commendationemque habet non mediocrem ex H. Steinii nostri conjectura, quum in Graecis illis *theo hera* vel *theo horas* latere intellegaret aliquam formam verbi graeci quod est *χρῆσθαι*. Certe si Delphis scriptum fuisse putamus *Θεῷ χρῶ*, ut reliqua illa Delphica *γνῶθι σεαντόν*, *μηδὲν ἄγαν*, *ἐγγύα πάρα δ’ ἄτῃ* alicui septem sapientum tribuuntur, ita ne hoc quidem ab eo coetu alienum est, quando huic geminum aut certe simillimum est quod in Demetrii Phalerei (?) septem sapientum apophthegmatis apud Ioannem Stobaeum florileg. III, 79 β Soloni tribuitur cum illo *μηδὲν ἄγαν* et aliis plurimis *χρῶ τοῖς Θεοῖς*, quod prudenter explicuit o. Conr. Orellius opusc. graec. vet. sentent. et mor. I p. 531. Quamquam non est prorsus eadem utriusque sententiae vis, ac suspicari in promptu est, quum sacerdotale elogium in sapientiae praeceptum vertisset, iuxta cum sententia etiam verba nonnihil fuisse inflexa, antequam a Demetrio illo, quisquis fuit, prescriberentur. Nam *χρῆσθαι* *Θεοῖς* quum omnino ii dici possint qui colunt deos<sup>1)</sup>, ut ad omnem religionem ea formula perfineat; praecepit tamen, id quod in scripto Delphico plurimum valet, *χρῆσθαι* *Θεῷ* vel *τῷ Θεῷ* ii dicuntur, qui dei alicuius oraculum consulunt,<sup>2)</sup> quod alias vocatur *χρῆσθαι* *χρηστηρίῳ*, *χρηστηρίᾳζεσθαι*. Quoniam autem is qui

<sup>1)</sup> Herodot. I, 172. Plutarch. defect. orac. 19. *Ἡρωσιν* Lucian. Toxar. 3; cfr. Stein. ad Herodot. II, 50, 14.

<sup>2)</sup> Herodot. I, 47. VIII, 133. 134. Aeschin. adv. Ctesiph. 124 p. 71 Steph. Diodor. III, 73. Plutarch. vit. Lycurg. 5. 29. vit. Alex. 14. defect. orac. 50. amator. narrat. 3. Dio Chrysost. X, 1. 2. 17. 22. 24. 27. Pausan. VII, 22, 3. VIII, 39, 12. Laërt.

utitur potior est eo quo utitur, ne deest quidem huic dicto ille qui in ceteris Delphicis facile sentitur stimulus τοῦ ὀξυμάρον, quem sane postmodum consuetudo sermonis obtudit atque, ut ita dicam, hebetavit. Atque ut ab initio in isto utendi pracepto ambigua quaedam inerat et ad colendum et ad consulendum adhortatio, ita et Dio Chrysostomus lusum quemdam captavit ambiguatis, quum in oratione decima negaret oportere eum χρῆσθαι θεῷ qui nesciret χρῆσθαι ἀνδραπόδῳ vel omnino ἀνθρώπῳ vel adeo ἔαντῳ, et hoc loco Varro, quum Delphicum illud utendi deo praecemptum ad Serapim conferret, quo iam pro medicina uti homines coepissent. Iam si haec a nobis recte disputata sunt, quaerentibus qui casus sit in ablative licebit adquiescere, neque opus erit aut genetivum adsciscere *Serapidis*, pro quo ipsum *Serapi* sufficere docuimus, aut quod Turnebus et Popma scripserunt mutatione lenissima a *Serapi*, aut quod ego quondam conieci *Serapia*. Dicam etiam, cur Oehlerianum illud θεῷ ἡρῷ mihi inprobetur? Nec oratio placet nec sententia. Primum enim imperativum φέρει vel, quem ab infimis Orphicis arcessivit Goettlingius p. 312. 320, χόμιζε omitti sic potuisse, id vero demonstrandum potius erat quam sumendum. Deinde etsi interpreteris „gratificare deo“, quae sententia in iis verbis inesse potest, sive vituperari *Serapidis*, dei praestigiatoris, avaritiam cum Oehlero putas, sive omnino deum quoquo modo propitiandum cogitas, non ea ita comparata est, ut ad superiora enuntiata, e quibus tamen intellegi dicitur, satis apte conveniat. Quod autem interpretatur Goettlingius p. 312 „Gott die Ehre“, eodem id vitio laborat quo tota viri doctissimi commentatiuncula, in qua ut ubertas quaedam cernitur ac prope luxuries ingenii, ita subtilitas, iudicium, auctoritas desiderantur. — Restat ut de media parte fragmenti huius dicatur. Atque ad formam quidem quod attinet, quum sit totum illud Noniani operis caput septimum de contrariis generibus verborum, in quo plurima recensentur verba deponentia pro activis, activa pro deponentibus posita, mirum est eius verbi deponentis, quod hoc ipso genere est usitatissimum, etiam exemplum adponi, unde conieci, apud ipsum Nonium legendum videri *Precant pro precantur*, itemque in loco Varronis *precant*, praesertim quum in iis quae „ancipiti terminatione in una eademque significatione protulerunt antiqui“, etiam preco et precor fuisse testetur Priscianus instit. gramm. VII, 6, 29 p. 396 H. et in glossario Hildebrandi p. 245 extet: „precare rogare, petere, postulare“. Nam qui in lexicis commemoratur versus Iuvenci III, 85 „suspiciensque dehinc caelum genitore precasto“, facile in eo participium ad eam rationem revocatur, de qua vulgo praecipiunt grammatici, ut Seyfert § 2616. Zumpt § 632. Madvig § 153 alii. Nunc video Vahlenum quoque, quem sequitur Ribbeckius, ita scribere; quocum etiam consensi, quod falli eos putavi, qui, ut Forcellinus et Schellerus, *precantur* a Varrone passive dictum censem. Quamquam hoc unum est, quo tueri istam lectionem aliquis possit. Nam quum haec *cottidie precantur*, — sic enim vulgo distinguuntur verba, — parum apte cum reliquis cohaereant, non inprobabile est fragmenti partem aliquam interceptam esse lacuna; quo probato iam sciri non potest an passivo fuerit locus. Activum ut praecoptem causa mihi manet in ratione metrica posita; manet etiam in lacunarum apud Nonium fonte uberrimo homoeoteleuto, si sic legitur:

„ego médicina Serápi utor cottidie“.

*precánt* [ . . . . ant] . intéllego

*recté scriptum esse Délpis: τῷ θεῷ χρέο.*

Diog. II, 50. Herodian. hist. III, 8, 16. ψυχὴ Θηβαίον Τειρεσίαο Homer. Odyss. x, 492. 565. λ, 165. ψ, 323. — Χρῆσθαι absolute Homer. Odyss. 3, 81. Herodot. I, 46. 85. III, 150. 151. 155. 157. V, 81. VII, 220. Plutarch. de E apud Delphos 1. 5. de Pyth. orac. 26. amat. narrat. 2. Dio Chrysost. XXXI, 97. Pausan. VII, 19, 8. VIII, 7, 6. VIII, 38, 5. X, 37, 6. Anthol. Palat. XIII, 70. Oenomaus ap. Euseb. praep. euang. V, 26, 1. Sed in Eusebii ipsius verbis V, 26, 2 ταῦτα δὲ ἡγούμενα τὸ ἀδρανὲς τῶν τε χρωτῶν καὶ τῶν χρωμένων ἀπελέγχειν ἀφούντως non medium et masculinum est τῶν χρωμένων, ut refertur in Thesauro Stephaniano, sed passivum et neutrum.

Qua in lectione *cottidie* ad superiora relatum sententiae certe non minus convenit quam si ad ea quae sequuntur satis obscura trahatur. Sunt quidem numeri in versu primo voce spondiaca quartum pedem occupante nonnihil gravati, carentque etiam eo levamento, quod unum concessit Ritschelius prol. p. CCIV, ut monosyllaba post caesuram vocula spondeum praecedat; sed ne dicam similem me exhibuisse part. I p. 10 n. 4 versum e Parmenonis Varroniani fr. 5 ut *'Ilias | Homéri et Annalis Enni. poétique st | ars éarum rerum'*, cuius tamen inelegantiā aut ferendam aut tollendam<sup>1)</sup> iam tum dixi, huic versui dubito an illa quam cum Porsono supplēt. praefat. ad Eurip. Hecub. p. XXV quasi-caesuram dixerim *Serap'* idoneo possit esse praesidio. Neque tamen, ut in re nimis obscurata, intercesserim acrius quominus legatur:

' ego mediciná Serapi utór. cottidié precant<sup>2)</sup>.

' intellegó recte scriptum ésse Delphis: θεῷ χρέο :

manente sic quoque ratione diverbii cuiusdam, quae tantum non omnibus videtur editoribus placuisse. Atque ego, ut dicam quod sentio, his trochaeis ita capior, ut prope nihil absit quin duabus adhibitis mutatiunculis obliterata versuum initia sic fere restituam:

érgo mediciná Serapi utár? — cottidié precant

[ eúm deum] — intellegó recte scriptum ésse Delphis: θεῷ χρέο.

Sed satis sit ostendisse numeros vel iambicos vel trochaicos inesse verbis, quos melius certiusque restituendo aliis relinquo.

Serapis tum Romae praescribebat per somnium curationem valetudinis; Cic. de divinat. II, 59, 123. De Serapidis apud Romanos cultu cfr. Marquardt Hdb. d. röm. Alterth. III p. 85 sq. Preller röm. Mythol. p. 727 sqq. Interpp. ad Minuc. Felic. Oct. 21 et Arnob. adv. nation. II, 73. Ian. ad Macrob. saturn. I, 7, 16. Schwenck Mythol. d. Aegypt. p. 574. „Serapide et Isidem et Arpocratem cum suo cynocephalo Capitolio prohibitos inferri id est curia deorum pulsos Piso et Gabinius consules non utique Christiani eversis etiam aris eorum abdicaverunt turpium et otiosarum superstitionum vitia cohibentes“; verba sunt Tertulliani apologet. 6.<sup>3)</sup>. Idem loco gemino ad nation. I, 10: „Ceterum Serapein“, inquit, „et Isidem et Arpocratem et Anubem prohibitos Capitolio Varro commemorat eorumque [aras] a senatu deiectas nonnisi per vim popularium restructas. Sed tamen et Gabinius consul Kalendis Ianuariis, cum vix hostias probaret prae popularium coetu, quia nihil de Serape et Iside constituisset, potiorem habuit senatus censuram quam impetum vulgi et aras institui prohibuit.“ Servius in Vergil. Aen. VIII, 698: „Varro indignatur Alexandrinos deos Romae coli.“<sup>4)</sup> Movemur his veterum scriptorum locis, ut circa illum annum hanc sive saturam sive quis malit dicere pseudotragoediam<sup>5)</sup> esse conscriptam a Varrone suspicemur. Quamquam aliis quoque locis de ea re illum dixisse satis probabile est; vid. de ling. lat. V, 10, 57. Augustin. de civit. Dei XVIII, 5.

<sup>1)</sup> Velut scribendo *at poétique st*; sed in carmine didactico aliquid condonandum puto nominibus propriis ac technicis.

<sup>2)</sup> Vel: *ego | médicina Serápi utor cottidie precánt . . | intellegó etc.*

<sup>3)</sup> Arnob. adv. nat. II, 73: „Quid vos? Aegyptiaca numina, quibus Serapis et Isis est nomen, non post Pisonem et Gabinium consules in numerum vestrorum retulisti deorum?“

<sup>4)</sup> Suidas: Ἐγκατέσχηψεν. ἐρώμησαν, ἐπέδραμον, ἐπεδράξαντο. Τὰ Αἴγυπτιον οὐαῖ τὰ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ πόλεις ἐγκατέσχηψε οὐαὶ τῇ Ρώμῃ, Οὐάρων γησίν. Varronem non Suidas citavit, sed vel Aelianus vel alius nescio quis cuius dictum Suidas perscripsit; itaque commate punctum mutavi. Alienissimus certe ab hoc loco est alius quidam apud eundem Βαύλων ιστορικός, quem scripsisse refert ἐπιτομὴ τῶν οὐαὶ Ἀλεξανδρον τὸν Μαζεδόνα, de quo dubito an sciri vix quicquam aut probabiliter coniici possit. Illa vero Αἴγυπτιον οὐαῖ ut ad Serapidis sacra iure suo retulisse videantur viri docti, Servii locus efficit.

<sup>5)</sup> Vid. Ritschl Mus. Rhen. XII. p. 512.

Ac fortasse etiam Pseudulus Apollo, quo nomine saturam quamdam inscripsit, pro Serapide ab eo dictus est, quam suam quondam sententiam retractavit Buechelerus p. 450.

**17.** (13 V. 30 R). **27.** (31 R). Nonius VII, 105 p. 480, 29. 31. „Miras pro miraris. Varro Eumenidibus: *hospes, quid miras animo curare Serapim? Quid? quasi non curat tantidem Aristoteles.* Idem eisdem: *aut ambos mira, aut noli mirare de me de eodem*“.

Ab ordine fragmentorum Oehleriano, quem cur retinendum duxerim indicavi Philol. VIII p. 226 et Eumen. I p. 13, hoc tamen loco discessi, nec ratio latet. Ne Popma quidem locos seiunxerat. — In edd. Venetis ea, quae post v. *curare* leguntur, desunt. Aldina cum cod. Guelf. eiusdem, cod. Leid. eisdem superscr. u. Ed. 1583 *Seraphim*, eadem et edit. Mercer. omitt. *de me*. — Pro *animo* Turnebus advers. IIII, 8 legendum vidit *nomo*, eumque secuti sunt Scaliger Catal. p. 229, Popma ed. Lugd., Laurenbergius antiquar. v. miras, Anthologiae latinae editores, denique Ribbeckius; contra *animo* tuetur Oehlerus, Vahlenus p. 178 *animos* scripsit. Oehlerus quod ad codicum fidem servandam ait in plano esse in hoc libro, qui esset de Stoicorum illo dogmate ὅτι πάντες μωροὶ μαίνονται, multum de insania memoratum esse, aut prorsus non adsequor quid sibi velit, aut *animo curare* putavit aequi potuisse atque *animo mederi*. Turnebus: „Alii legunt *animo curare*, ut Serapis pretio non curet, sed animo, si colatur.“ Quod nec ipsum ferri potest. Vahleno cur *nomo* reiectaneum putaret in caussa fuit ipse nexus, quo hoc fragmentum olim habitum voluit. Fingit enim ad Orestis illius Aeschylei speciem efformatum esse a Varrone hominem insanum, qui a deo deave frustra levationem insaniae precatus tandem iudicium decreto in sanorum numerum referretur. Hunc in matris deum templum venisse deaeque aram supplicem occupavisse, quando cum sacerdotes Cybeles medicae artis peritos tum Cybelen ipsam sanandi animi morbum facultate praeditam crederent homines; eundem insaniam laborantem de eodem morbo Serapim adiisse, quem et ipsum Aesculapii partes sustinuisse perhiberent; denique eundem aegrotum ad philosophorum scholas ablegari, in quibus longe certior quam in numinum illorum sacris iusaniae ac dementiae curatio posita sit: cui consilio insanum ipsum propter infandas philosophorum ineptias semet parum obtemperantem praestare; intercedere porro aliud, quo paretur curatio, ipsam induci canam Veritatem, quae edoceat nullam esse eam, qua ille se teneri putaret, insaniam nec eum insaniorem reliquis omnibus, quippe cum omnes stulti insaniant; curationem postremo suo iudicio forenses confidere. Haec ille p. 171 et p. 183, quae ut longum est singillatim refellere, ita non est necesse et paucis defungi licet, quum praesertim Ribbeckius, probaturus, ut opinor, amici, si potuisset, sententiam, prorsus aliam inierit instaurandi fabulae argumenti rationem non fere convenientem cum Vahleniana nisi in his quae suis verbis Varro expressit. Quamquam ne haec quidem, sit licet ingenii atque facetiae luminibus quibusdam conspicua, mihi admodum probatur, et de utriusque viri conatibus quid sentiam universe exposui in Vindiciarum parte prima Philol. XV p. 271 sqq., adstipulatorem, antequam mea typis exscripta essent, nactus virum cum utroque coniunctissimum Buechelerum Mus. Rh. XIII p. 447. Sed illuc redeo. Habemus in Eumenidum fragmentis hominem Serapidi incubantem, in matris deum aedem delatum, a vulgo pro *insano* habitum, forensium decreto in sanorum, si lectio certa, numerum relatum, haec omnia ipsum narrantem; videmus de philosophis male existimari, hominum taxari insaniam, ipsam denique accedere canam Veritatem; reliqua Vahleni figmenta sunt, in quibus hoc non est e felicissimis, quod ipsum insanum suae sibi insaniae medicinam quaerentem fecit. Et quod ad Serapim eum quasi quemdam φρενῶν λατρόμαντιν configuentem facit, est quidem insaniae ab eo deo sanatae exemplum apud Aelianum nat. animal. XI, 32, sed a cognatis ille hominem in dei aedem supplicem ductum narrat. Verum hoc quoque mittamus. At unde tandem Vahlenus Oehlerusque castigari a Varrone Serapidis eiusque sacerdotum sciebant avaritiam? Nullum eius, nisi hoc loco *nomo* legitur, indicium in hac satura

superest. Immo verissime adnotavit Ribbeckius genetivum illum pretii, qui est altero versu sive *tantis* sive *tantidem*, prorsus flagitare ut legatur *nomo*; et quod Vahlenus ait *tantidem* hoc loco commoda nec nostratisbus incognita translatione accipi *aeque facile, bene*, exempla latina desidero, quae nulla esse puto eiusmodi, ut hoc cum loco apte conponi possint, quamquam Meyerus ad Antholog. lat. I p. 18 n. 41 scripsit: „*tantidem pro tantundem*. Ruddimannus p. 125.“ Curat autem *nomo* Serapis non solus, sed etiam alii dii, quos habet in sua arte collegas, velut Amphiaraus, de quo Pausanias I, 34, 4 *νόσον δὲ ἀκεσθείσης ἀνδρὶ μαντεύματος γενομένου καθέστηκεν ἄργυρον ἀρεῖναι καὶ χρυσὸν ἐπίσημον ἐς τὴν πηγήν*, qui fons est prope Amphiarii templum apud Oropum. Quamquam a vulgaribus illis Serapicis, quales etiam Romae videntur tum fuisse, non omnis abiudicanda erit turpitudo lucri faciendi, praesertim reputatis quae de eiusmodi oraculorum poësi scripsit Plutarchus de Pyth. orac. 25 *πλείστης μέντοι ποιητικὴν ἐνέπλησεν ἀδοξίας τὸ ἀγνοτικὸν καὶ ἀγοραῖον καὶ περὶ τὰ Μητρῷα καὶ Σεράπεια βωμολόχον καὶ πλανῶμενον γέρος, οἱ μὲν αὐτόθεν οἱ δὲ καὶ κλῆρον ἐκ τινῶν γραμματίων χρησμοὺς περαίνοντες οἰκέταις καὶ γυναικίς ὑπὸ τῶν μέτρων ἀγομένοις μάλιστα καὶ τοῦ ποιητικοῦ τῶν δνόματων· ὅτεν οὐχ ἡκιντα ποιητικὴ δοκοῦσα κοινὴν ἐμπαρέχειν ἔστηται ἀπατεώσι καὶ γόησιν ἀνθρώποις καὶ ψευδομάντεσιν ἐξέπεσε τῆς ἀληθείας καὶ τοῦ τρίποδος.* Eamque ob caussam, quam hic Plutarchus exposuit, Varro hominem Serapicum versus elegiacos fundentem fecit, — nam hoc quoque numero oracula nonnumquam edita esse docent exempla a Gustavo Wolffio collecta ad Porphyri. de philosoph. ex orac. haur. p. 84 sqq., — sed quo magis ridicula res esset, abiecte loquentem nec sine quadam orationis barbarie. Nam quod ait *miras et mirare* pro eo quod debebat *miraris et mirari*, Graeculi est non satis latine scientis. Solebat enim id genus maxime in generibus peccare tum nominum tum verborum, cuius rei exempla supersunt apud comicos et in Petroniana illa cena Trimalchionis; contraque latini sermonis contagione quadam scriptum est *Θεαμασθῆναι* pro *Θεαμάσαι* apud Plutarchum de soler. animal. 16, *οἵ χαιρόμενοι* Alex. Aphrod. probl. I, 11. 20. 31 (14 *οἵ χαίροντες*), *φιλοσοφούμεθα* Cic. ad Attic. XV, 13, 6 et quae commemoravi ad Hippolyt. I, 24 Philol. VII p. 628. — Versu altero unus Oehlerus ausus est tueri indicativum qui est *curat*, nempe ut „particulam *quasi* explicaret per *fere* et referret ad genitivum pretii *tantidem*“. Nec vero ei negotia facessivit *tantidem* correpta praenultima dictum, quod nisi et ipsum pro striblige habendum est studio quae sita, non video probabiliorem corruptae vocis medicinam quam ut cum Ribbeckio scribatur *tanti item*. Non uno enim nomine incommodum est quod Vahlenus p. 60 et 179 scripsit hexametrum faciens pro eo quem omnes esse crediderant pentametrum: *quid? quasi non curet tantidem Aristotelis [vis?]* In quo ut omittam hiatum minime ferendum <sup>1)</sup>, quem ipse p. 180 ait posse et ante *Aristotelis* inserto devitari, periphrasis illa *Aristotelis vis*, quae, ne ab ipsa consuetudine latina abhorreat, mire tamen hoc loco friget, quum praesertim epitheto aliquo careat, quo plerumque hoc in genere uti solent poëtae<sup>2)</sup>), nec eam habeat significantiam, qua similes versuum exitus aut excusantur aut

<sup>1)</sup> Vid. Lachmann in Lucret. II, 466 p. 99 sqq. In emendando Meleagrorum fr. 6 ap. Non. II, 907 p. 187, 15 Ribbeckii laudem Scaliger occupavit; neque enim interest *viraciam* scribatur an *viraceam*. Neque aut *vir* necesse erat ut omitteretur, aut se cum Vahleno ut adderetur, siquidem pro septenario Ribbeckiano (p. 129) praestat seniorum fragmenta legere: . . . *si non malit vir viraciam | uxórem habere Atalántam . . .*

<sup>2)</sup> Sic philosophos denotavit Timo ille sillographus: *Παρεμβίδον βίην μεγαλόφρονα* Laert. Diog. VIII, 23. *ἀμφοτερογλώσσον μέγα σθένος οὐκ ἀλαπαδνὸν Ζήνωνος* L. D. VIII, 25. Plut. vit. Peric. 4. *Ἵστοις οὐκ επιπειθήσεις (εὐπειθήσεις)* vel *Αἰσχίνον οὐκ ἀπιθήσεις* L. D. II, 55. 62. *Ἀναξάρχον κύνεον μένος* Plut. de virt. mor. 6. *Ἄριστιππον τρυγερὴ φύσις* L. D. II, 66. Latina exempla sunt: „*Valeri sententia dia*“ Lucil. ap. Porphyri. ad Horat. sat. I, 6, 12. „*sententia dia* Catonis“ Hor. sat. I, 2, 32. Sulpic. sat. 48. „*Democriti quod sancta viri sententia ponit*“ Lucret. III, 371. V, 622; quibus addi potest „*odora canum vis*“ Verg. Aen. III, 132.

commendantur, ut „volnificus sus“ Ovid. metam. VIII, 359. „horrens Arcadius sus“ Lucret. V, 25. „ingens inventa sub illicibus sus“ Verg. Aen. III, 390. „exiguus mus“ Vergil. georg. I, 181. „ridiculus mus.“ Hor. epist. II, 3, 139<sup>1)</sup>. Rejecto autem hexametro et pentametro vindicato cessante versum aequalitate iam ne a forma quidem orationis commendatur Vahleni ratio versus duos ita distribuentis „ut priore calumniatori Serapidis medici aegrotus respondeat, alter hospiti Aristotelis et philosophorum curam prae Serapide commendanti adscribatur.“ Qua ratione hoc ad summam efficere philosophorum illum fautorem, ut Aristotelem dumtaxat parem faciat Serapidi, vere Ribbeckius iudicat; recte idem hos versus omnes sacerdoti Serapidis tribuit. Quem etiam versu heroico et solenni ista voce, quae est latine *hospes*, graece ξένε vel ξεῖνε, conpellare sciscitantem multo magis decebat quam eum qui cum altero de optima insaniae medicina disceptaret, aliis, opinor, ad eam rem aptioribus numeris usurus. Pecuniae facienda studium non magis is ait mirandum esse in Serapide quam in Aristotele. Aristotelis autem de nomine ita inter se consentiunt interpretes, ut studia philosophica significari Oehlerus scribat, quemvis philosophum vel omnes philosophos Vahlenus, magistros sapientiae Ribbeckius. Ego quid id sit, eodem pretio id est numo curare philosophos, fateor me non satis intellegere. Nam qui philosophos argueret preium institutionis a discipulis poscere, vix videtur dicturus fuisse *tantidem* eos doctrinam vendere quanti Serapim oracula singula, sed aliquanto etiam pluris, praesertim tanto illo nomine nominato Stagirite philosophi, apud quem certe numo nihil veniret. Itaque ego crediderim aliquem nominari potius medicum graecum sive Romae sive in alio quodam oppido, in quo fabulae scenam esse Varro voluerit, artem tunc facilitantem, ut Serapieus neget debere hospitem mirari, si non vilius dei constet quam hominis medicina. — *Curare* medici dicuntur etiam absolute, ut Cels. I, prooem. „in diversas *curandi* vias processerint“, et „in duas partes ea quoque quae *curat* medicina divisa est“. *Curare alicui vel rebus alicuius* quid sit et qui dixerint, vide ap. Gronov. ad Gell. XVII, 9. Oudendorp. ad Apul. de deo Socr. 2. Gesner. thesaur. s. v.

Restat ut de tertio versu dicamus. Corrupta esse verba *de me de eodem*, nemo non vidit; Iunius et Mercerius itemque Laurenbergius *de me* omiserunt, quod ita adrisit Ribbeckio, ut hexametrum faceret: *aut ambos mira aut noli mirare de eodem*. Nimis hic quidem patiens soloecismi, quando nec latine nec per graecismum dici potest aliquis mirari de aliquo vel de aliqua re. Memini cuidam familiari meo, viro doctissimo, quum ei olim locum desperatum ostendisse, in mentem venire ut legatur *mirare*: *Deo dem?* et *mirare* sit i. q. *mirabundus dicere*. Speciosa sane ac peringeniosa emendatio, et utinam vera! sed nescio an vehementior sit ista breviloquentia quam pro persona eius qui loquitur. Mihi visum est in corruptis illis *de me de eodem* nihil aliud latere quam *Idem eodem*, tertius autem quem Nonius attulisset locus intercidisse. Neque enim semper Nonius, ubi ex libro aliquo fabulave alterum locum affert, eius libri fabulaeve nomen quod habet genus quemve numerum, sequitur in citando, sed *eodem* scribit, ubi ratio postulabat, ut scriberet *eadem* vel *eisdem*. Ac fortasse hoc quod legendum proposui *Idem eodem* nihil est aliud quam δύττογραφούμενον, quod olim superiori illi *Idem eisdem* adscriptum inscritia librariorum in hunc locum sit delatum, excipiente collocationis vitium vitio scripturae.

Denique totum locum sic lego:

*Hospes, quid miras numo curare Serapim?*  
*quid? quasi non curet tanti item Aristoteles.*  
*aut ambos mira aut noli mirare.*

<sup>1)</sup> Ausonii quoque versiculos est in Technopaegno: „caedis Adoneae mala gloria fulmineus sus“, sed is tamen ob ipsum institutum hexametros monosyllabis terminatos faciendo hic minus testabilis.

**18.** (10 V: 32 R.) Nonius III, 67 p. 201, 10. „Cepe generis neutri. — . — . — . Cepe feminini. — . Varro Eumenidibus: *in somnis venit, iubet me cepam esse et fessiminum.*“ — .

In Nonianis legendum est *Cepa feminini*. Apud Varronem pro *fessiminum* Iunius legendum coniecit *vesci cuminum*, idque certatim receperunt Popma ed. 1601, Laurenbergius, Oehlerus, Vahlenus, Ribbeckius. Qua emendatione mirum est neminem aut vidisse aut, si vidi, dixisse effici versum trochaicum octonarium:

*in somnis venit, iubet me cépam esse et vesci cuminum.*

Unus Ribbeckius adnotavit, qui pede molosso *et vesci* non offendatur, posse eum audire sibi videri versum alterum metri Archilochii quarti:

*in somnis vénit,  
iubét me cepam esse ét vesci cuminum.*

Ego si uno molosso offenderer, haberem quo eum vindicarem Alcmanis versum *καὶ ναὸς ἄγρας εὐπάργω Σεράπινας* apud Priscianum de metr. Terent. 24 p. 428 Keil. (fr. 4 Bergk); nunc plura offensioni sunt, quae exponere supervacaneum puto, quod properantius vir doctus quam consideratius hoc loco rem gessisse mihi videtur. Iunii emendationem confirmatum ivit Popma loco Plinii nat. hist. XX, 14, 57 de cumino silvestri haec scribentis: „verum tamen omne cuminum pallorem bibentibus gignit. ita certe ferunt Porcii Latronis clari inter magistros dicendi adsectatores similitudinem coloris studiis contracti imitatos; et paulo ante Iulium Vindicem adsertorem illum a Nerone libertatis captatione testamenti sic lenocinatum“. <sup>1)</sup> Addi poterat Dioscorides mater. med. III, 61 (68) de cumino sativo scribens: *τρέπει δὲ καὶ χρῶται ἐπὶ τὸ ωχρότερον πινόμενόν τε καὶ συγχριόμενον*, item Galenus in Hippocr. de humor. II, 34 t. XVI p. 337 Kühn. et schol. Pers. 5, 55; dixit enim pallens cuminum Persius l. l., ut Horatius epist. I, 19, 17 in imitatorum servum pecus invehens: „quodsi pallerem casu, biberent exsangue cuminum“. Reliquae enim cumini vires, propter quas Oehlerus citat Galen. vol. XIII p. 199 (ed. Chart.) Plin. XX, 14 et 15, non magis huc pertinent quam cepae, de quibus adiri vult Galen. VI p. 371 et XIII p. 197. Plin. XX, 5. Habet enim hoc Serapidis praeceptum, — esse autem Serapidis omnes consentiunt, — formulam quidem ordinationis medicae, cuiusmodi *συνταγὰς καὶ θεραπείας ἀπὸ Σαραπίδος δοθεῖσας* a quibusdam somniorum scriptoribus multis libris consignatas fuisse narrat Artemidorus oneirocr. II, 44 (cfr. Wolff. ad Porphy. de philosoph. ex orac. hauriend. p. 61. 63 sq.), quo ex genere nonnullas commemoravit Aelianus nat. anim. II, 31. 34. 35; sed cepam esse iuberi quid sibi velit, aperit locus Laertii Diogenis I, 83 *ἐγὼ δέ, φησίν (ό Βίας), Άλνάτην κελεύω χρόμυνα ἐσθίειν· ἵσον τῷ κλαίειν:*<sup>2)</sup> cfr. Menag. ad eum locum, Suid. v. *χρόμυνα ἐσθίειν*. Plorare igitur iubet molestum sciscitatorem Serapis, id est vapulare et in malam rem abire (cfr. Heindorf. ad Horat. sat. I, 10, 91), sed simul grata quadam ambiguitate ab insana barbarorum superstitione redire ad illam Varroni toties laudatam veterem ac sanam Romanae gentis disciplinam. Nam, ut ait in Bimarco ap. Non. III, 67 p. 201, 5,

avi et átavi nostri, cum álium  
ac cépe eorum vérba olerent, támén optume animáti erant;<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Idem XX, 15, 58 de ammi cumini simillimo: „colorem quoque bibentibus similiter mutat in pallorem“. Dioscorid.

<sup>2)</sup> Glossema sane est hoc *ἵσον τῷ κλαίειν*, sed Suida et Eudocia antiquius.

III, 63 (70) de eodem: *τρέπει δὲ καὶ χρῶται πινόμενον καὶ συγχριόμενον ἐπὶ τὸ χλωρότερον.*

<sup>3)</sup> Ita nunc existimo legendum esse hunc locum servata librorum fide abiectisque quos Philol. VIII p. 239 efficere conatus sum senariis, et si non idonea de caussa vituperavit eos Vahlenus p. 143. Vocis iambicae quae est *avi* syllabam

et in Manio fr. 10 ap. Non. p. 201, 7 hortatur aliquem ut „dúlcem aquam bibát salubrem et flébile esíté cépe“. Accedit quod aversabantur cepas sacerdotes Aegyptiorum, quod certe de Isiacis testatur Plutarchus de Is. et Osir. 8: *οἱ δὲ ιερεῖς. inquit, ἀφοσιοῦνται καὶ δυσχεραίνουσι τὸ κρόμμυον παρασφύλακτοντες, ὅτι τῆς σελήνης φθινούσης μόνον εὐτροφεῖν τοῦτο καὶ τεθηλέναι πέφυκεν. ἔστι δὲ πρόσφρονον οὕτε ἄγνεύοντιν οὕτε ἑορτάζοντιν, τοῖς μὲν ὅτι διψῆν, τοῖς δὲ ὅτι δακρύειν ποιεῖ τοὺς προσφέρομένους*<sup>1)</sup>). Plorare autem postquam iussus est homo a Serapi, si idem etiam pallere iubetur, nescio quomodo friget dei responsum; descendit enim a maiori malo ad minus, quod adeo non pro malo habebant nonnulli, ut studio quaererent. Deinde omnino non ita solebant veteres malum inprecari, quod sciam, ut pallere iuberent. Accedit quod ingrate coniunguntur verba synonyma edendi et vescendi, omnesque qui pallorem gigni cumino tradunt, Dioscorides, Plinius, Galenus, Horatius, Persii scholiasta de bibentibus loquuntur, non de vescentibus; nisi quis forte auctoritatem tribuit Mačro Florido de virib. herb. 2124: „dicunt pallentem dare mansum saepe colorem.“ Quae quum ita sint, Iunii conjecturae subscribere dubito aliamque puto ineundam esse emendandi viam. Coniecit vir doctus apud Gerlachium *et sisymbrium*. Quo sane bonus efficitur versus septenarius; sed in eius herbae viribus a Dioscoride II, 154. 155, a Galeno VIII, 17, 20 sqq., a Plinio XX, 22, 91 relatis nihil invenio propter quod cum aliquo acumine ea hic commemoretur. Neque eius rei scio quae hic festivitas esse possit, quod Veneri ea herba sacra fuit (Ovid. fast. III, 869) et *Ἄρρωδίης στέφανος* et herba venerea dicta (Diosc. II, 154) sponsique ea vesci solebant (schol. Aristoph. av. 160). An quod eam herbam alii *ξεπνύλλον ἄγριον* vocabant (Diosc. I. l.), serpyllum autem phreneticis et lethargicis inlinebatur (Plin. XX, 22, 90. Diosc. III, 40 al. 46), ea res eiusmodi est, ut haec viri docti conjectura Vahleno recipienda videri debuerit? Mea sententia haec est, abiiciendum esse totum illud *et fessiminum*, quippe in quo nihil aliud lateat, quam lectoris cuiusdam adnotatiuncula grammatica e margine in ipsum verborum ordinem fortuito delata: *est femininum*, nempe *cepam*, ut *cepe* neutrum. Numeros autem, nisi quis trochaeos malit, sic describo:

. . . . . in somnis venit,  
iubet me cepam esse . . . . .

19. (20 V. 6 R.) Non. III, 295 p. 344, 11. „Merum est solum. —. —. —. —. Varro —. Idem Eumenidibus: *tu non insanis, quo tibi vino corpus corrumpis mero?*“

Iunius (ed. 1583) et Popma *quod pro quo*. Inprobat Meinekius Ztschr. f. d. Alt.-Wiss. 1845

ultimam utrum eliserit Varro an biatu elisionem vitarit nescio; licuisse eam elidere docui in Vindiciis primis Philol. XV p. 276. *Optime* quod paenultimam acutam habet, adversum quidem est Ritschelii legibus; nec tamen in eo excusando confugerim ad octonariorum licentiam, sed eius libertatis, quam septenariorum trochaicorum arsi secundae ac tertiae Ritschelius concessit prolegg. p. CCXXV, puto aliquid concedendum esse etiam antepaenultimae, ut Plaut. Trin. 329 „omné meum autém tuumst“, Stich. 712 „vides essé tibi? quin bibis“ atque etiam Menaechm. 842 „lámpadibus ardéntibus.“ Eandem enim vim habet dactylieorum paenultima quam ultima trochaicorum. Ferri igitur posse videntur etiam tales versus, qualis est Mummi ap. Macrob. sat. I, 10, 3 „á frigóre fecré summo séptem Saturnalia“, et qualem Varroni *Oros λύρας* fr. 12 (16 V) pro eo quem posueram Eum. I p. 12 restitui in Vindiciis tertiiis nondum a typographo exscriptis „incondita cantare, sarcinátricis in máchinis“; quibus addo Plaut. Curcul. 192 (1, 3, 36), quem sic satis certo emendare mihi video: „Túne etiam cum noctuinis oculis odium mé vocas, | ébriola, persólla, nugae? Ph. Tún meam Venerem vituperas?“ Ad Bimarci locum ut redeam, hoc quoque, ut in quibusdam Gerontodidascali locis, de quibus dixi in Vindiciis primis Phil. XV p. 286 sq., Varro ad laudandos mores antiquos usus est versibus iambicis octonariis.

<sup>1)</sup> Sext. Empir. Pyrrhon. hypotyp. III, 224 *κρόμμυον δὲ οὐκ ἀν τις προσενέγκαιτο τῶν καθιερωμένων τῷ κατὰ Ηγλούσιον Καστρῷ Λι, ὥσπερ οὐδὲ ιερεὺς τῆς κατὰ Αἴθην Αἴρρων Αἴρρων γενέσαιτο ἄν.* Non commemoratis sacerdotibus Diodor. I, 89. Juvenal. 15, 9.

col. 738; verius enim futurum fuisse *quos vel qui*, sed *quo* tamen hoc loco non minus verum videri quam apud Horatium carm. II, 3, 9 „*quo* pinus ingens albaque populus umbram hospitalem consociare amant ramis?“ Atque ita nunc in altera sua Horatii editione scripsit commendavitque scripturam praefat. p. XIII. Sed de Horatii loco alii viderint; in Varronianas duas, ut cum Oehlero Vahlenus, interrogations facit: *t. n. insanis?* *q. t. v. c. c. mero?*, unam, ut videtur, facturus, si vel *quos vel qui* scribere maluisset. Sed *quos* quomodo intellegi voluerit, obscurum mihi est, et vereor ne quid peccatum sit a typographo; voluit fortasse *quom*<sup>1)</sup>. Sic certe scribi iussit Buechelerus p. 432; neque enim *quo* commode ita accipi videri, ut sit i. q. *quid*, quemadmodum in illis *quo mihi fortunam, quo mihi sacerdotem*, eorumque similibus; etiam minus recte, ut adnotavit p. 451, referri ad *vino*. Quorum neutrum aut a Meinekio dictum est aut a Vahleno, qui recte suam lectionem tuetur analect. Nonian. p. 17. Neque ego satis caussae esse puto, cur librorum fides deseratur.

Versum Vahlenus, Ribbeckius, Buechelerus consentiunt esse iambicum octonarium; ergo talem:

*tu nón insanis? quó tibi vino córpus corrumpís mero?*

non offensi, ut videtur, quarto pede anapaesto, cui in ea sede locum esse negavit G. Hermannus elem. doctr. metr. p. 161. Quem quod idem concessit Ennio tragicus ap. Cic. Tusc. II, 16, 38 (320 R. 20 V.) „seu quá (al. si quí) sapientiá *magis* vestra mórs devitari potest“; ut *magistratus* fuit pro trisyllabo, (Ritschl. prolegg. p. CLII), ita *magis* videtur pro monosyllabo fuisse (Corssen II p. 112). Hinc ego, quum *tibi* numquam non fuerit bisyllabum, olim legendum conieci:

. . . *tu nón insanis? quó tibi,*  
[*insáne,*] *vino córpus corrumpís mero?*<sup>2)</sup>

Nunc propter Meinekii sententiam, qui huic loco recte iudicat subiici debuisse fr. 33 (23 V. 19 R.), quum id fragmentum sit heroicis versibus perscriptum, dubitare coepi an iidem huic loco numeri sint reddendi in hunc fere modum:

— ⊙ ⊙ — *tu non insanis? quo tibi vino*  
*corpus corrumpis[que] mero* ⊖ ⊖ — ⊙ ⊙ — ⊖?

quorum versuum posteriorem suo sibi quisque ingenio poterit explere, velut si addas *mortemque propinquas vel frangisque animi vim* vel tale quid, quo omisso etiam prius illud *que* omitendum videri potuit. Omissae eius particulae exemplum est p. 394, 18 locus Lucretii VI, 782 scriptus „spurcae gravisque“ pro „spurcaeque gravisque“. Possis vero etiam: [*tu*] *corpus corrumpi*? *mero*?

Ceterum pronominis et verborum persona secunda non adpellari conloquentem a conloquente credibile est, sed auditorem quemlibet a philosopho Stoico de stultorum omnium insanias suam aliquam διατριβὴν vel περίπατον exhibente. Oehlerus si Serapidis esse verba voluit, erravit. De meri potu insalubri, quamquam res est pervagatissima, conferre iuvat Mnesitheus Atheniensis medici ap. Athen. deipn. XI p. 483 f.: συμβαίνει τοὺς μὲν πολὺν ἄσφατον ἐν ταῖς οννονόσαις πίνοντας μεγάλα βλάπτεσθαι καὶ τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχήν. Nam eiusdem Mnesitheus de vini generibus et efficacia sententiam quum in alia saturata, quae ‘Υδροκύων inscripta fuit, Varro laudaverit ap. Gell. XIII, 31 (30), 14; fortasse ne hoc quidem loco immemor eius fuit. Quid quod eodem citato auctore Mnesitheo incertus poeta comicus ap. Athen. II

<sup>1)</sup> An *quor?* quod Horatio restitui olim Lachmannus voluit, Lucilioque ap. Non. p. 301, 16 vindicavit Vahlenus anal. Non. p. 17.

<sup>2)</sup> Liberius transpositis verbis Desbillons: *tu nón insanis, quód vino corpú s tibi | meró corrumpis?*

p. 36 b. ait: *εὰν δὲ ισον ἵσω προσφέρῃ, μανίαν ποιεῖ· εὰν δὲ ἀκρατον, παράλυσιν τῶν σωμάτων:*<sup>1)</sup> quibus versibus ad superiorem illum locum respici sententia est Meinekii frgm. com. graec. III p. 482. Fuisse autem Mnésitheum Alexidi, mediae comoediae poetae, fere aequalem ex huius colligitur versibus ap. Athen. X p. 419 c. Alia igitur de caussa hic dicuntur insanire *οἵ ακρατοπόται* quam propter ipsam ebrietatem, quam esse *μικρὰν μανίαν* non unus iudicabat Chrysippus ap. Ioann. Stob. florileg. XVIII, 24, voluntariam insaniam Seneca epist. 83, 17; unde Stoici *τὸν σπουδαίον* aiebant *οἰνωθήσεσθαι μὲν οὐ μεθυσθήσεσθαι δέ* Laert. VII, 118, ad quem locum cfr. Menag. et Lips. manuduct. III, 18. Peripatetici *περὶ μέθης* etiam libros componebant, ut Aristoteles, Theophrastus, Chamaeleo; secundum eos Varro saturam Est modus matulae, *περὶ μέθης*. Sed ab hoc qui nunc agitur loco fortasse non alienum erat exemplum Cleomenis Lacedaemoniorum regis ab Herodoto narratum VI, 84 et prope iisdem verbis a Chamaeleonte ap. Athen. X p. 427 b. c.

**20.** (11 V. 33 R.). Nonius III, 425 p. 394, 9: „Spurcum, vehemens, asperum. — . Varro Eumenidibus: *nunc de te, inquit, meliusculam spem habeo, qui rem spurcissimam gustare noluerim.*“

Edd. Venet. *gestare*, eaedem et Ald. *voluerim*, Popma *nolueris* iussitque sic scribi Mercerius, „recte fortasse“ iudice Oehlero. Contra Vahlenus primam verbi personam vindicans haec verba *qui r. sp. g. noluerim* negat coniungenda esse cum *habeo*, sed cum illis *de te* hoc fere modo: „nunc de te meliusculam spem habeo“, dicit de me qui (quippe qui) spurcissimam rem gustare noluerim“; nempe causam spei melioris non a deo, cuius verba referantur, — *inquit* enim de deo per somnum viso dictum ait, — sed ab eo qui de se suaque curatione narret, adiici. Ac nihil differt Ribbeckius; mihi tamen satis contortus esse iste sermo videtur. S autem et *M*, ne iam dicam de recentioris scripturae compendiis, propter quamdam in antiqua litteratura similitudinem in ipsis vetustis inscriptionibus inter se permutata reperiuntur, ut in titulo Lambaeitano ap. Henzen. 5716 legitur MACTVM CORONATVMQVE pro MACTVS CORONATVSQVE, et in sigillo medici ocularii ap. Grotfend. 70 (Philolog. XIII p. 163) CROCODEM pro CROCODES. Ac subiiciunt quidem hoc fragmentum ei quod est Oehler 18 Vahlenus Ribbeckiusque pariter atque olim Popma, nec fortasse Oehlerus noluit ad Serapim referri; ut quem modo plorare iusserat deus, de eo se nunc dicat meliusculam spem habere propterea quod rem spurcissimam gustare noluerit: nempe cepam, opinor, quam vidimus Aegyptios sacerdotes esse aversatos. Verum ut non aversati sunt eam propter spurcitium, sed propter divinitatem quamdam (Iuvenal. 15, 9 sqq.) ac religionem, sive quod Dictyn Isidis alumnus adprehensa cepa periisse dicebant (Plut. Is. 8), sive quod alium et cepas inter deos in iure iurando habebat Aegyptus (Plin. XVIII, 6, 32), sive quae alia eius erat sanctimonia (Schwenck p. 13); ita non est credibile Varronem, postquam breviter dixit: „in somnis venit, iubet me cepam esse“, fecisse deum etiam plura cum somniante agentem, quod et a narrationis genere et a dei persona erat alienum. Sernenda sane erit in re spurcissima interpretanda auctoritas Nonii propter gustandi verbum vehementi atque asperae rei pariter inhabile, quum sane in Ciceronis loco, qui antecedit, tempestas spurcissima videri posset dicta esse pro vehementissima vel asperrima. Neque fallatur me iudice, si quis ipsum Varronis exemplum suo loco motum esse existimet, positumque esse ante id lemma, cui subiectum olim fuerat, quo in lemmate scriptum est: „Spurcum significat obscenum et impurum et lutulentum“. Mihi quidem spurcissima illa res videtur fuisse medicamentum aliquod foedum, quo in genere eo spurcicie progredebantur quidam medici veteres, ut ne excrementis

<sup>1)</sup> Apud Laertium VIII, 9 quod traditur de Pythagora: *τὴν μέθην ἐν ἀνθ' ἐνὸς βλάβην καλεῖ*, in eo comicis versus agnoscere mihi videor.

quidem bestiarum neque adeo stercore humano abstinerent (cfr. Dioscorid. mater. med. II, 98. Galen. simpl. medic. facult. X, 2, 18—29. Aët. I, 2, 110—119. Paul. Aegin. VII, 3 p. 240 ed. Basil.), foeditateque et omnis nauseae contemptu præ ceteris conspicuum se reddidit Xenocrates ille Aphrodisiensis, qui Plinii fere aequalis vel paulo antiquior quum alia plura ad materiam medicam quae vocatur pertinentia tum περὶ τῆς ἀπὸ τῶν ζῷων ὁμοληίας libros plus uno conscripsit (Galen. X, 1 p. 248 sqq. 261 t. XII Kühn).<sup>1)</sup> Quamquam in sententiola tam abrupta etiam aliorum potest in mentem venire, quae vel ad philosophos potius pertineant, velut Asclepiadem Phliasium ne morticinis quidem abstinuisse (Laert. II, 132), Cynicos erudis (Menag. ad Laert. VI, 34), Diogenem Cynicum et Stoicos atque in primis Chrysippum carnes humanas gustare fas esse sapienti existimasse (Laert. VI, 73. VII, 121. 188. Sext. Empir. Pyrrhon. hypotyp. III, 207. 247. adv. ethic. 193 sq.), vel ad varias variarum gentium in cibis quibusdam aut capiendis aut fastidiendis abominandisque superstitiones (Sext. Emp. Pyrrh. hyp. III, 223—226. Plin. XXX, 1, 4. Iuvenal. 15, 9. 80—92), vel quae de sanguinis pabulo narrat Tertullianus apologet. 9 (ubi cfr. locos ab Oehlero citatos), vel si quid erat Thyesteis dapibus simile veteribus Christianis obiectari solitis<sup>2)</sup>: quorum omnium in tanto hominum undique suos mores suasque religiones in urbem Romam ad portantum confluxu (Dionys. Halic. antiq. II, 18) aliquid obversari potuisse Varroni haec scribenti nescio certe quomodo negari omnino queat. Sed spurcissimam rem, quamcumque Varro significavit, gustare nolle ita est cuiusvis hominis, ut, cur eam ob caussam spes melior de aliquo habeatur, aegre intellegam, facilius intellecturus si melius speretur de eo qui alicuius sive boni adipiscendi sive mali effugiendi caussa rem spurcam sine fastidio aut gustarit aut gustare se velle professus sit. Ac sane quum *noluerim*, quod ante Iunium legebatur, et *noluerim* in codicu[m] non admodum vetustorum scriptura vix inter se dignoscantur, ego Aldinam et Venetas secutus ad scitaque Mercerii emendatione sic lego hunc locum versibus iambicis octonariis conceptum:

. . . . . nunc dé te, inquit, meliusculam  
spem habeó, qui rem spurcissimam gustáre volueris . . .

vel his septenariis:

. . . . . nunc de te, inquit, meliusculám spem  
habeó, qui rem spurcissimam gustáre volueris . . .

illuc pede iambo, hic syllaba una ad alterum versum complendum deficiente. *Spem* et *spe* per synaloephe[n] cum sequentibus vocalibus coniungere nihil veriti sunt veteres poetæ scenici.

**21.** (21 V. 33 R). Nonius III, 97 p. 272, 3: „Cedere, occidere vel mactare. —. —. Varro in Eumenidibus: *Maximum credit ferro sed cedere Ulixem, cum baccha sylvam cedit porcosque trucidat.*“

In Nonianis ante Mercerium *caedere*, ante Ald. omissum *vel*, Ald. et Iun. om. *in*. — In Varronis versibus, quos heroicis esse omnes agnoverunt, Ald. *maximum* sive typographi peccato sive commento

1) Ἀλλ' ἐκεῖνός γε (δέ Ξενοκράτης) ὃς αὐτὸς πεπειραμένος ἀξιοπίστως πάνυ γράψει τίνα πάθη θεραπεύειν πέι υπερ  
ἔγκεφαλος ἑσθιόμενος ἡ ἡπαρ ἀνθρώπον, τίνα δὲ τὰ τῆς κεφαλῆς ἡ κυρήμης ἡ δακτυλῶν ὅστὰ τὰ μὲν κανθίντα τὰ δὲ ἄκανθα  
πινόμενα, τίνα δὲ αὐτὸ τὸ αἷμα. ταῦτα μὲν οὖν εἰ καὶ παρὰ τὸν νόμον, ἀλλ' οὐκ ἀσελγῆ γε. πόσις δὲ ἴδρωτός τε καὶ  
οὔρον καὶ καταμηρίον γνωσκός ἀσελγῆ καὶ βθελντά καὶ τούτων οὐδὲν ἥττον ἡ κόπρος, ἣν διαχριμένην τε τοῖς κατὰ τὸ στόμα  
καὶ τὴν φάραγγα εἴς τε τὴν γαστέρα καταπιομένην ἔγραψεν δέ Ξενοκράτης ὃ τι ποτε ποιεῖν δημάσται· γέγραψε δὲ καὶ περὶ  
τοῦ κατὰ τὰ ὄπον πινομένου Gal. p. 248 sq. Et prope etiam foedius est quod p. 250 de perniosis cura refertur.

2) Athenagor. legat. 4. Tatian. or. ad Graec. 42. Justin. Martyr. apolog. I, 26. II, 12. dialog. c. Tryph. 10. 17. 108.—Theophil. ad Autolyc. III, 3 Iren. ap. Oecumen. ad Petr. epist. 1, 2. (Iren. opp. ed. Massuet p. 343). Euseb. hist. eccles. V, 1. Minuc. Fel. Octav. 8. 9. 30. Tertullian. ad nation. I, 2. 7. apologet. 7 sqq.

correctoris, qui apud Graecos *νάννυμος* factum sciret pro *νάννυμος* et alia quaedam eius similia; Popma versum pro acephalo habuit, quem compleverunt scribendo e conjectura *mox unum* D. Heinsius de satur. Horat. I p. 81 et God. Hermannus elem. doctr. metr. p. 347 eosque secutus Oehlerus, *Ajax dum Ianus Gulielmius verisimil.* III, 18 et N. Faber in ed. 1583, *Ajax tum Mercerius*, Lachmannus in Lucret. p. 14, Vahlenus, Ribbeckius; pro *credit ferro se caedere* ante Mercerium legebatur *caedit ferro sed caedere* illud restituentibus Gulielmo et Fabro (*credo enim* in ed. 1583 sphalma est); *ulyxem* Venett., *Ulyssem* Ald. Iun. Merc. Popm., *Ulixen* cum Lachmanno Vahlenus; *baccham* cod. Leid., *baca* Ald. et Popm. 1, *bacca* Iun. et Gul., *baccas* Popm. 2, *bacchans* Merc. (*quum b.*), unde margo ed. Durdr., probante Gerlachio, recipientibus Hermanno, Oehlero, Ribbeckio, *baculo* cum Lachmanno Vahlenus; *sylvam* Ald. Popm. 1. Iun. Gul. Merc.; *petit* pro altero *caedit* Venetae. — Vahlenus *baculo* Lachmannianum commendat a concinnitate, quam Ribbeckius negat in instrumentis esse positam, sed in iis quae caedi dicuntur. Mihi mirum visum est non fuisse offensioni viris doctis non modo porcos, quum ποίμνας, βούς, βοῦς ἀγελαῖας, ταύρους, εὐκέρων ἄγραν, κριούς, αἴπόλια nominet Sophocles Aiac. 62 sqq. 145. 175. 185. 231. 234. 237. 297. 300. 375. 454, bovem Iuvenalis 14, 286, armentum Tertullianus de anima 17, oves Horatius sat. II, 3, 197, agnos idem 211, μῆλα Quintus Smyrnaeus posthom. V, 406. 411. 456. 467, ἀρνειόν idem 439, pecora Hyginus fab. 107; sed, quum saltem in animalibus sint porci, multo etiam magis silvam inanimantem. Unus certe qui interpretatus est Popma, „silvam petiit“, inquit, Veneta lectione repraesentata, quasi in silva Ajax gregem pecorum trucidaverit. Itaque ne illa quidem *silvam* et *porcosque* sana esse arbitratus animum induxi rescribere:

*Ajax tum credit ferro se caedere Ulixem,  
cum vaccas flagro caedit caprosque trucidat.*

Etenim si propter syllabarum quae sunt *gro* et *prof* similitudinem omissis per oculorum errorem his *caedit ca* librarius aliquis scripserat *flaproisque trucidat*, deinde supra lineam addiderat *caedit ca*; perspicuum est quomodo *fla* *caedit* abire potuerit in *filūā caedit*, *preaoisque in porcosque*. Capri autem dicti esse possunt pro arietibus (Soph. Ai. 237) vel metri caussa vel quod poeta similiūm quadrupedum non magis curaret discrimen quam similiūm actionum caedendi et trucidandi; flagrum autem intellego Aiakis μαστιγόφον illum μέγαν ἵπποδέην δυνῆρα quem vocat Sophocles Ai. 241. Aiakis furorem similiter apud Varronem atque apud Horatium et Iuvenalem pro exemplo fuisse ad castigandam hominum in magna morum pravitate pro sanis sese habentium insaniam, non est quod demonstretur; quo autem cum genere pravitatis atque stultitiae comparatus fuisse videatur, pro suo cuique ingenio decernendum relinqu. Denique in eadem saturae parte hoc fragmentum locum olim habuisse qua fr. 19 et 33, et ratio et numeri docent.

**22.** (14 V. 21 R). Nonius III, 69 p. 201, 25: „Coluber generis masculini. — . Colubra feminini. — . — . Varro Eumenidibus: *quid dubitatis, utrum nunc sitis cercopitheci, An colubrae, an bolvae de albu cibus labus Athenis?*

*Belluae* Ald., *beluae* Iun. Oehl., *volvae* e Rothii conjectura Vahl. et Ribb.; in postremis varia tentarunt vv. dd., quos titubasse in tantis tenebris non est mirandum. Stephani conjecturam *an attelabus* Rothius affert ex eius fragmentis veterum poëtarum latinorum, ut videtur; haud sane idoneam, nec vero multo infeliciorem ea quam Popma proposuit in ed. pr. εν κεφαλῇ quibus λόρος ἀτενής, Gallos cristatos cogitans nimirum conlato loco Lucret. II, 632, adeoque Gallos Matris Deum confundens cum gallo alite allegato loco Lucian. somn. 3, unde in ed. alt. etiam ἀνθρώπος ἀλκηνης q. λ. ἀ. legere in mentem ei

venit. Tamen priorem coniecturam probavit Havercampo ad Tertull. *apolog.* 48 p. 408, quem Luciani ille gallus, utpote qui Pythagoram se quondam fuisse perhibeat, commovit ut metempsychosin Pythagoricam a Varrone hoc loco inrideri suspicaretur, pariter atque cum Oehlero Vahlenus Ribbeckiusque nunc existimant. Nuper vero Rothii coniecturam *an de Albuci subus Athenis* non modo Oehlerus amplexus est, sed etiam Ribbeckius atque omissa particula *an* Vahlenus. Quo facto hi nascuntur hexametri:

*quid dubitatis, utrum nunc sitis cercopitheci  
an colubrae an volvae (an) de Albuci subus Athenis?*

Nempe T. Albucium intellegunt, quem Lucilii aequalem fuisse docemur locis Cicero. *de finib.* I, 3, 9. *orat.* 44, 149. *de orat.* III, 43, 171, doctum Graecis vel potius paene Graecum quique plane se Graecum habere vellet Cicero. *Brut.* 34, 131. *fin.* I. l. *provinc.* *consul.* 7, 15, fuisse adulescentem Athenis perfectumque Epicureum evasisse Cicero. *Brut.* I. l. *in Pison.* 38, 92, etiam exulem Athenis Epicureum animo aequissimo esse philosophatum Cicero. *Tusc.* V, 37, 108; cfr. Baiter. *onomast.* Tullian. p. 27. Madvig. *ad. Cic. fin.* I, 3, 9. Verum et antiquior ille est quam pro huius saturae tempore nec de eius subus quisquam quidquam tradidit; quod autem Horatius epist. I, 4, 16 iocans „Epicuri de grege porcum“ semetipsum vocavit, estne id eiusmodi, ut Varro, cum Pythagoreorum metempsychosin lepidis exemplis carperet, non omisso dicendus sit occasionem Epicureis, Vahleni verbis utor, stimulum addendi? an quod Cicero in Pis. 16, 37 convicians Pisonem Epicurum suum adpellavit ex hara productum, non ex schola? Quidam vero etiam confuderunt hunc T. Albucium cum homine recentiori L. Albucio, cuius libellos Luciliano charactere scriptos Varro commemorat *rust.* III, 2, 17 et *de reditu villatico* dicta adfert ibidem et III, 6, 6.<sup>1)</sup> Quem si quis hoc loco intellegi malit, haud paulo convenientius putem. Sed remoto Epicureo iam ne tantillo quidem probabilius dicetur in corruptis illis *bus labus* latere *subus* quam *bubus*; ultimum autem illud *Athenis*, qui ablativus omnino vix aliquo modo ferendus est ab arte grammatica, iam ne a sententia quidem habebit quorsum referatur. Denique volvae suillae in deliciis apud veteres heluones habitae (Horat. epist. I, 15, 41. Plin. *nat. hist.* VIII, 51, 78. XI, 37, 84. Martial. VII, 20, 10. XIII, 56. Plin. epist. I, 15. Apic. art. coquin. VII, 1. Athen. III. p. 96 e. 100 c. — 101 c. et fortasse Petron. 35, 3), si maxime aptae sint ad stimulum addendum Epicureis, num etiam ad carpendum metempsychosin? Quae porro volvas cum cercopithecis et colubris conponendi faceta? Quam etiam minus capio, si non omissa *an* particula inter se comparantur et continuantur cercopitheci, colubrae, volvae, sues. Recte igitur fecisse mihi videtur Oehlerus, quod ad veterem illam scripturam rediit, quae fuit *beluae*. Nihil enim impedit quominus pro bisyllabo sit id nomen, ut pro trisyllabo est verbum *maluisti* in Lucilii versibus ap. Cicero. *fin.* I, 3, 9, et *miluus* veterum inde a Persio factus reperitur *milvus*, ut ad Lucret. VI, 552 p. 379 adnotavit Lachmannus.<sup>2)</sup> Beluae quum intellegi possint vel elephanti vel balaenae vel aliae quae bestiae inmanes, dubito an hic aptissime intellegantur hyaenae, quas eo nomine significatas invenio apud Caelium Aurelianum acut. *morb.* III, 16 p. 234 ed. Almeloveen. et Theodorum Priscianum I, 10 p. 293 b. extr. Ald. *conlato Marcell.* Empir 8 p. 62 ed. Basil., quibus adde quos laudavit Gesnerus in Thesauro v. bellua. Nec enim incommodo animal Aegyptium et fortasse sacrum coniungi videtur cum cercopithecis et colubris; quorum de religione cfr. Parthey ad Plutarch. de

<sup>1)</sup> Eundem commemorat Fronto p. 171 (ed. Rom. 1823) his verbis: „In poëtis autem quis ignorat ut gracilis sit Lucilius, *Albucius aridus*, sublimis Lucretius, mediocris Pacubius, inaequalis Accius, Ennius multiformis“. Quaeritur aliasne fuerit Albutius sive Albucius Horat. *sat.* II, 1, 48. 2, 68.

<sup>2)</sup> Simile est *vindemiator* trisyllabum Horat. *sat.* I, 7, 30; et apud eundem epod. 12, 7 *vietis* bisyllabum est, non correpta paenultima trisyllabum.

Is. et Osir. p. 261. 266. Credibile autem est metempsychosin, quam primos Aegyptios docuisse narrat Herodotus II, 123, coniunctam apud hos fuisse cum religione bestiarum. Ac dubito an non ad Pythagoreorum potius quam ad Aegyptiacae superstitionis inrisiōnēm hoc fragmentum pertinuerit coniunctumque fuerit cum iis quibus Serapidis supersticio perstringebatur. Videtur autem poëta ridicule a peregrinis illis bestiis se convertisse ad domesticas, si recte coniicio pro corruptis illis *cibus labus athenis* olim scriptum fuisse *mulabus et hinnis*, ut alter versus talis fuerit:

*an colubrae an beluae an de Albi mulabus et hinnis.*

Albius hic quem posui non opus est ut sit notior quam ille ap. Horat. sat. I, 4, 28. 109; ruris amantissimi poëtae Albii Tibulli si aut patrem fingas aut aliquem propinquum rei pecuariae ac praecipue mularum procreandarum educandarumque studio nobilem, non plane absurdum sit; cogites tamen licebit etiam de eorum aliquo illis temporibus Albiorum, qui plures apud Ciceronem commemorantur. Denique *utrum nunc sitis* dictum est quasi graece πότερον λανθάνετε ίματας αὐτοὺς — ὄντες.

**23.** (15 V. 22 R.) Nonius XVII, 2 p. 550, 15: „Blitum, olus leve. Varro Eumenidibus: *Empedocles natos homines ex terra ait, ut blitum.*“

In lemmate Ald. et Iun. *holus* (hoc etiam Venett.) *lene*. In Varronianis Venett. *extra*. — Vahlenus versum trochaicum septenarium esse dixit:

*: Empedocles nátos homines éx terra ait, uti blitum;*

capite una syllaba truncatum praemisso nempe plenum exhiberi posse. Ribbeckius hexametrum esse hypercatalecticum:

*'Empedocles nátos hominés ex térra ait, út blitum;*

Empedoclem suo ipsius metro a Varrone perstringi, ac fortasse legendum esse *ut blit*. Latuit certe id monosyllabon Ausonium, quem non puto eo abstenturum fuisse in suo Technopaeignio (edyll. 12), praesertim parte ea quae Grammaticomastix inscribitur, si quid de eo umquam inaudiisset. Mihi propter fr. 25 (16 V. 23 R.), quod ut in eadem saturae parte locum olim habuisse existimemus et argumentum suadet et color orationis, iam non, quod aliquando putaveram, deleto verbo quod est *ait* senarius (*Empédocles nátos hominés ex terra út blitum*), sed septeniorum iambicorum partes videntur esse reficiendae hunc in modum:

. . . . . Empedocles nátos

ex térra homines ait, út blitum . . . . .

De re cfr. Sturz. ad Emped. p. 365 sqq. Karsten. ad Emped. p. 445. Preller. hist. philos. 175 ed. sec. et ipsius Empedoclis versus 262 sqq. ed. Stein. De blito Palladius rust. III, 9, 17: „olus hoc neque runcandum est neque sarculandum. cum semel natum fuerit, ipsum se per multa secula seminis sui deiectione reparabit, ut, etiam si velis, vix possit aboleri.“ Per se igitur nullo serente ex terra nasci quum videretur blitum, id ad Empedoclis de generis humani originem sententiam perstringendam poëta transtulit.

**24.** (13 V. 20 R.) Nonius II, 284 p. 105, 12: „Eculeos, diminutivum ab equis M. Tullius in Hortensio dici voluit —. Varro Eumenidibus: *neque furentem eculeum Damacrinum insanus equiso exhibebis morbi fluctibus educat umquam.*“ Idem II, 288 p. 106, 2: „Equiso pro equite. Varro —. Idem —. Idem Eumenidibus: *neque furentem eculeum Damacrinum insanus equiso exhibebis morbi fluctibus educet umquam.*“

In lemmate priori *equuleos* ante Merc., *diminutivum* ante Basil. 1842. In Varronianis *equuleum* ante Merc. et Durdr.; *damacrinum* utroque loco Venett. Iun. Merc., *damarianum* priori Ald., *Damacrinus*

Popma ed. 1601, de conjecturis vv. dd. postea dicetur; *quis* altero loco cod. Leid., supra scriptis *e* et *o* litteris cod. Guelf.; *exibebis* cod. Leid. altero loco; *educet* utroque loco Venett., *educat* utroque ed. Basil. 1526. Iun. Merc., *educit* Popma 1601; *unquam* ante Merc.

Verba foede exulcerata variis conjecturis sanare conati sunt vv. dd. Et Turnebus quidem advers. XXVIII, 22 pro *Damacrionum* legendum censuit *Acragianum*; „nam *Acragus*“, inquit, „olim equis nobilitabatur“; quod licet verum sit, ipsum tamen nomen iam Mercerio improbatum nec latinum est nec graecum. Idem scripsit *ex senis m. fl. educat unquam*; in quibus si *senis* non, quae Mercerii interpretatione est, morbum inveteratum ideoque difficilius curandum significat, sed vel calami vel typographi lapsu scriptum est *pro saevis*, id quod suspicatus est Oehlerus, hoc quidem non mediocriter mihi probatur, quando *ex sebis* quam facile in *exibebis* abire potuerit, facile adparet. Popma quum sic emendandum esse locum iudicaret: *Damacrinus sanus equiso ἔξι βέβαιοις* (Bipont. ἔξω βέβαιοις, sed voluisse videtur ἔξει β.) *m. fl. e. u.*, nisi hanc adscripsisset interpretationem: „qui sunt domitores equorum“ — quippe secundum eum est *Damacrinus* „quasi ὁ ξοίνων τὴν δάμασιν“ — „ex his nemo sanus educit furentem equuleum, ubi iam furor est adsiduus et haud fere unquam intermittit“; neminem puto cogitationem hominis iudicio atque elegantia etiam saepius quam litteris ac doctrina destituti fuisse adsecuturum. Nec fere quisquam probavit, nisi quod Oehlero *Damacrinus* non displicuit. Iunius coniecit: *Damacrino insano equisoni exhibet, is morbi fluctibus educet nunquam*, ad sententiam probabilius, sed verbis liberius mutatis et oratione parum concinna. Mercerius, *Damacrinum* quid sit nesciens nec quid eius loco reponendum, pro *exhibebis* voluit *ex liberis*, nihil enim liberius esse equo nondum domito, qui sit nec frenis nec calcaribus nec aliis coercitionibus servire doctus. Sed furentem Varro dicere videtur morbosum. Melius igitur coniecit Rothius *ex hibus*, Vahlenus *ex huius*, Ribbeckius *ex hibernis*, Oehlerus *ex rabidis*. Sed *ibus* ego obsoletius esse puto quam quo Varro praeassertim in tenui dicendi genere uteretur, idemque paulo languidius pariter ut *huius*, praeterquam quod scribere debuerunt *ibus* et *eius*; *hibernis* translationem habet a latina consuetudine alienam, *rabidis* a librorum fide nimium recedit. Quod idem cadit in id quod Bentinum Rothius commemorat coniecssisse *ex maris*, cuius ne sententia quidem intellegitur. Malim igitur, ut dixi, *ex saevis*. De emendando nomine quod est *Damacrinum*, — id enim tenuerunt, — iuxta cum Oehlero desperavit Vahlenus; non desperavit Ribbeckius, qui hos excudit versiculos:

nec furentem eculum, *Damasippe*, *insanus equiso*  
ex *hibernis* morbi *educet fluctibus umquam*;

de quibus non videtur dici posse nisi hilarius. Cfr. Philolog. XVII p. 99. Nec multo felicius idem in adnotatione coniecit *Damacrine*; monstrum enim nominis *Damacrinus* est, non nomen. Neque id ut procurarem ego mihi contigisse puto: sed equorum aliquod genus quaerens, quod esset proprio nomine a patria appellatum idemque traderetur ingenio fuisse ferociori, quem incidisset in locum Vegetii art. veterin. VI (III), 6 sic vulgo scriptum: „postea Epirotas Samaricos ac Dalmatas, licet contumaces ad frene, habiles armis [ac bellis] asseverant“; in hoc, donec melius aliquid invenissem, subsistendum interim ratus hos Varroni versus senarios restituere conatus sum:

. . neque furéntem eculeum *Sámaricum*  
*insánus equiso ex saévis morbi fluctibus*  
*edúcat umquam . . . . .*

Nec dissimulo aliorum quoque posse nominum in mentem cuiquam venire, qualia sunt *Armeniacum*, *Samarianicum*, *Margianicum*; posse vero etiam de graecis verbis cogitari, in quibus vel *δαμάσεως* notio aliquam vim habeat vel aliqua lateat rei equestris formula a *διὰ* praepositione incipiens. Liceat tamen,

donec inventum sit quod omnes probabilitatis numeros expleat, adferre nonnulla ad meam conjecturam commendandam, quae si et ipsa imperfecta ac parum probabilia videantur, in tantis tenebris id aequi bonique velim faciant viri docti. Dubitanti enim qui essent apud Vegetum equi Samarici cum Epirotis et Dalmatis coniuncti duo oblati sunt loci, quibus ea res aliquatenus expediri posse videbatur, alter Petronii 86, 4, ubi amasius puero pollicetur asturconem Macedonicum, alter geographi anonymi Ravennatis p. 307, 14 ed. Parthey. et Pinder., ubi inter civitates iuxta Oceanum in ipsa Spania sitas designatur Samaricum. Situm fuit id oppidum in veteris Callaicae regionis parte ea quae nunc inter Durium et Minium adpellatur. Admonet ea res loci Pliniani nat. hist. VIII, 42, 67: „in eadem Hispania Callaica gens et Asturica equini generis, — hi sunt quos thieldones vocamus minori forma appellatos asturcones, — gignunt, quibus non vulgaris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio, unde equis tolutim carpere incursus traditur arte“. Callaecos equos venatui quam bello aptiores laudat Gratius cyneget. 514. In ludis a Scipione apud Carthaginem novam factis Silius Punic. XVI, 335 sqq. equum ante omnes evolare facit Callaicum, proximum ire Asturem, tertium currere campis Vectonum eductum, denique eum quem Tyde miserat. Quod oppidum ab eodem Silio III, 367 sed alia in regione Hispaniae laudatum id esse videtur, cui apud Plinium nat. hist. IIII, 20, 34 idem nomen est Tyde, apud Ptolemaeum geogr II, 5 p. 123 Wilb. *Toīvōdai* vel *Toīvōda*, in Itinerario Antonini p. 429, 7 Wess. et apud Ravennatem p. 307, 17 Tude, in Callaicorum et ipsum finibus ad Minium, ut videtur, situm. Videntur autem Callaici et Astures nonnumquam inter se confundi, ut ap. Martial. X, 16, 3 „accipe Callaicis quidquid fodit Astur in arvis.“ Iam de asturconibus, quibus cum Asturica urbe coniunctum nomen est, praeter illa, quae supra exscripsimus, haec fere traduntur: Sil. Pun. III, 335 sqq. „his“ — de Asturibus loquitur, — „parvus sonipes nec Marti notus, at idem | aut inconcusso glomerat vestigia dorso | aut molli pacata celer rapit esseda collo.“ Vegetius art. veterin. II, 28, 37 de Parthis dicens equorum gressus ad dominorum delicias mollientibus: „non enim circulis atque ponderibus praegravant crura, ut tolutim ambulare condiscant, sed ipsos equos quos vulgo trepidarios militari verbo tottonarios vocant, ita edomant ad levitatem et quaedam blandimenta vecturae, ut asturconibus similes videantur“; ad quem locum cfr. Schneiderus. Martialis XIII, 199: „Asturco. hic brevis ad numeros rapidum qui colligit unguem, | venit ab auriferis gentibus Astur equus.“ Seneca epist. 87, 4: „ita non omnibus obesis mannis et asturconibus et tolutariis praeferres unicum illum equum ab ipso Catone defrictum?“ Apud Cornificium rhet. ad Herenn. IIII, 50, 63 aliquis non dives sed ostentator pecuniae servo in aurem dicit, ut „asturconi locus ante ostium suum detur.“ Videmus nomen a regione genteque Hispaniae ductum ita deflexum esse ad genus quoddam equorum denotandum, ut etiam extra Asturiam natis posset inponi, quemadmodum de Petronii illo asturcone Macedonio docuit Gronovius observat. II, 10. Si autem asturcones poterant esse Macedonici, poterant profecto etiam Samarici, quos ego a Callaecis non adeo differre putaverim, coniungi cum Epirotis atque Dalmatis, quippe montani cum montanis et fortasse ex patria sua in illas regiones olim translati. At non convenient mores. Quid, si forma tantum similis erat? si mores per longum tempus in alia terra degenerarant? Adfert Du Cangius Ebrardi Betuniensis in Graecismo c. 9 (7) versus: „asturco dextrarius est, Astur caput eius, | nam prius Astur equum dextrandi repperit usum“; erant autem dextrarii equi magni et cataphracti quibus potissimum utebantur in bellis et proeliis; vid. Du Cang. s. v. In Hippiatricis II, 112 interpr. Ruell. p. 101 b. Apsyrtus: „Hispani magno sunt corporis habitu, concinno et arrecto, eleganti capite, compage corporis luculenter dividua, sed astrictis clunibus, itineribus obeundis pares et robusti, corpore nec gracili nec ad maciem opportuno; ceterum ad cursuram inhabiles, in equitatione calcaribus non incitantur. quin et ab ortu ad integrum usque aetatem morati et obsequentes, deinde improbi et mordaces evadunt.“ Alia de Hispani sanguinis equis vid. ap. Gothofredum ad Cod. Theodos XV, 10, 1 t. V p. 442 ed. Ritter. Utut est, si

asturconibus ab initio fere pares erant hi Samarici<sup>1)</sup>), primum cur eculeum potius quam equum dixerit Varro aliquid caussae adparet, deinde in eorum incessu i. e. gradu tolutili,<sup>2)</sup> quem glomerationem dicebant, moderando erat in quo equisonis ars spectaretur; cfr. *Tριοδίτον* fr. 2 Non. I, 12. II, 288 p. 4, 14. 105, 30: „séd ut ecus qui ad vehéndum est natus, támén is traditúr magistro | út equiso doceát tolutim“. Cfr. Gronov. lectt. Plaut. p. 84 sq. Ceterum si quis pro *Samaricum* malit *Tamaricum*, proptere quod a Plinio nat. hist. IIII, 20, 34 et Pomponio Mela III, 1, 8 in Hispania occidentali ac septemtrionali i. e. Callaica praeter Tamarim fluvium Tamaricorum quoque gens enumeretur; equidem, distent licet nonnihil situs locorum, ne nominum quidem similitudinem a rei i. e. gentis atque originis similitudine quadam abhorruisse putaverim. Terminaciones quae sunt in libris *inum* et *ianum* ex eo quod sequitur *insanus* ortae corruptaeque videri possunt. Sed totum hoc, ut dixi, in coniectura est positum; qua meliorem ut non habeo ita cupio inveniri.

Ceterum *educat* an *educes* germana scriptura sit, in ambiguo esse recte iudicat Vahlenus; ille cum Oehlero coniunctivum, ego cum Rothio et Ribbeckio futurum praetuli. Versuum si nihil aliud certe speciem quamdam exhibuit Popma; Vahlenus, quum verborum emendationem perficere nequiret, ne numeros quidem attingere voluit, quibus conceptum fuisse fragmentum suspicabatur. — Ad sententiam cfr. Luc. euang. 6, 39 μῆτα δύναται τυφλὸς τυφλὸν ὁδηγεῖν; οὐχὶ ἀμφότεροι εἰς βόθυνον ἐμπτεσοῦνται; Sapientiae enim magistri si et ipsi insaniant, qui poterunt aliorum insaniae mederi? In hanc fere sententiam Ribbeckius quoque locum accepit.

**25.** (16 V. 23 R). Nonius II, 649 p. 153, 6: „Paxillus, diminutivum a palo. Varro Eumenidibus: ubi dicatur primus Zenon novam haeresim novo paxillo suspendisse. —.“

In lemmate reliquae omnes *diminutivum*; Venett. *pallo* non prorsus vitiouse. In Varronianis *leno* Venett.; *heresim* eaedem, *haeresin* Iunius et Popma.

Numeros bene sic restituit Vahlenus Fleckeiseni suasu:

. . . . ubi dicatur primus  
Zenón novam haeresim novo paxillo suspendisse;

quem sequor cum Ribbeckio. Sunt autem iidem quos in simili arguento vindicavi Sesquiulixis fr. 8 Eumen. I p. 10 et Vindic. I p. 299. Sententia aperta est, „Zenonem“, ut Vahleni verbis utar, „novam e novo principio deductam rationem induxisse.“ A supellectile translationem notionis ductam ait Turnebus advers. XV, 4, quam suspendere, inquit, ubi emimus domi solemus; *de paxillo suspendere esse parare*; Zenonem novam sectam instituisse dici, quasi eius secta sit philosophiae supellex quaedam. Exemplo est Bimarei fr. 11 (6 V.), hoc ipso Nonii loco commemoratum: *út novum | cribrúm novo paxillo pendeát . . .*<sup>3)</sup>.

**26.** (24 V. 48 R). Nonius I, 151 p. 35, 16: „Arquatus morbus dictus, qui regius dicitur, quod arcus sit concolor de virore, vel quod ita stringat corpora, ut in arcum ducat. Quod —. Varro Eumeni-

<sup>1)</sup> Non confundendi sunt cum his Samaricis equi samarii qui corrupte dicuntur apud infimae latinitatis scriptores et salmarii, saumarii, sommarii, summarii pro sagmariis i. e. clittellariis, unde Germanice Saumross, Saumthier; vid. Du Cange gloss. VI p. 24 sqq. ed. Henschel. Diefenbach gloss. p. 507.

<sup>2)</sup> Cfr. Varr. Modii fr. 1 ap. Non. I, 60 p. 17, 25 quod fortasse sic legendum: . . . . *an[ne] qui gradū tolutili te | nec succiente molliter vectus cito relinquat?* Libri te melius quam tute. An subquatiente?

<sup>3)</sup> Vahlenus p. 136 quum numerosi quid hunc locum habere intellegret, versum tamen constituere noluit. Ac possunt varie numeri describi; senarios commendare videtur caesurae ratio. Venetarum cui placebit lectio, sic describet: . . . . *út novum cribrúm novo | paxillo appendit . . . .*

dibus: *nam ut arquatis, et lutea quae non sunt et quae sunt, lutea videntur: sic insanis sani et furiosi videntur esse insanis*“ — Idem XVI, 10 p. 549, 2: *Luteus color proprie crocinus est.* — — . Varro Eumenidius: *nam ut arquatis et lutea quae non sunt, aequae ut lutea videntur, sic insanis sani et furiosi esse videntur insanis*“

In lemmatis ante Merc. *arquus* et *croceus*; Venett. *stringit*; *Eumenidius* sola Bas. 1842. In Varronianis priori loco pro *lutea quae* codd. Leid. et Guelf. habent *uterque*, edd. Venetae *utrique*, unde Aldina *veternosis* *quae* omissis *quae* sequuntur *non sunt et quae*, deinde cum Bentino Iunius *veternosis* *quae lutea n. s.*, *quae* alteri loco sic intulit *veternosis lutea quae n. s.; sunt quae sunt* omissis et cod. Leid.; pro *et quae sunt* Iun. cum Bent. *aequae ut*, quod altero loco tenent edd. ante Merc., nisi quod ed. 1583 *aequae et; insanis sani* Venett. et Ald. loc. pr.; *furiōsis sani* Venett. loc. alt., *furiōsis* Ald. loc. alt., Iun. *utroque; videntur esse* utroque loco Mercerius. Haec de codd. et edd.; probam lectionem primus restituit Cuiacius in emendationibus om. *veternosis*, adprobantibus Mercerio et O. Müllero ad Paul. exc. Fest. p. 369. Iunianam I. pr. lectionem refert Scaliger ad Paul. exc. Fest. p. 742 ed. Lindemann., I. alt. Popma ed. 1601, in ed. 1589 scriperat *sic insanis insanis, et furiosi esse videntur, sani*. Turnebus advers. XXVIII, 17 *et quae sunt et quae sunt* omissis et *veternosis et lutea*, Fabricius ad Sext. Empir. adv. log. I, 192 *et veternosis quae lutea non sunt et quae sunt*; iidem *furiōsis*. Ego, quum legendum certissime sit *furiōsi*, litteram illam s superesse suspicor ex voce *simul*, extremis litteris *īul* proximarum *uid* similitudine absumptis. Ante *sani* addo cum Vahleno particulam *et*, sententiae percommadam, metro necessariam; verba *lutea videntur* inter se transponere non inlicitum duco, quando in sequentibus ipso altero loco scriptum est *esse videntur*, priori *videntur esse*. Sic hos versus efficio:

. . . nam ut arquatis et lutea  
quae nōn sunt et quae sūnt videntur lutea,  
sic insanis [el] sāni et furiosi s[imul]  
vidēntur esse insāni . . . .

Pes molossus qui est *insanis* in ea versus sede nec exemplis caret (cfr. Plaut. Rud. 1284) nec peculiari sua hoc loco ratione.

Nonius V, 14 p. 424, 32 sq.: „Arcus et arquus hoc distant: arcus enim omnis suspensus fornix appellatur, arquus nonnisi qui in caelo appareat, quam Irim poëtae dixerunt; unde et arquati dicuntur, quibus color et oculi virent quasi in arqui similitudinem.“ Celsus med. III, 24: „color autem eum morbum detegit, maxime oculorum, in quibus quod album esse debet fit luteum.“ Hinc aurugini vel aurigini morbo nomen Scribon. Larg. compos. medic. 110. 127. Cael. Aurelian. morb. chron. II, 4 p. 456 all. Galenus de symptom. caus. I, 2 p. 99 t. VII Kühn. οἱ μὲν ἵπτειδῶντες ὥχρᾳ πάντα θεᾶσθαι δοκοῦσιν, οἱ δὲ ἐπόσφαγμα πεπονθότες ἔργῳ. Sext. Empir. Pyrrhon. hypotyp. I, 44 οἱ γοῦν ἵπτειδῶντες ὥχρᾳ φασὶν εἶναι τὰ ἡμῖν φαινόμενα λευκὰ καὶ οἱ ἐπόσφαγμα ἔχοντες αἴμωπά. 126 οἱ μὲν ἵπτειδῶντες ὥχρᾳ δοκοῦσιν, οἱ δὲ ἐπόσφαγμα ἔχοντες ὑφαίμα. adv. log. I, 192. 198. II, 221. Lucret. III, 307 (334): „lurida praeterea fiunt quae cumque tuentur | arquati“. Non mirum in coloris nomine nonnihil variari, quum apud Horatium epod. 10, 16 sit pallor luteus, Sappho autem ap. Anonym. de sublim. 10 pallorem suum significans dicat χλωροτέρα δὲ ποίας ἔμει.

**27.** (21 R). Vid. fr. 17.

**28.** (44 R). Nonius III, 63 p. 225, 15: „Crepare est sonare. — . — . — . — . — . Varro Eumenidibus: *propter percrepis vocibus volitans aureis vulgi. — .*“

*Propter crepas* edd. ante Mercer., item Popma, *percrepas* var. lectt. ed. 1583; *aures* Iun. Popm. Merc.; *volgi* Popm. 1601. *Praeter* Mercerium conieccisse refert Gerlachius, qui locum vellem indicasset frustra mihi quaesitum; non opus esse ea conjectura recte iudicavit Oehlerus. Janus Mellerius Palmerius spicileg. p. 785 sq. in Gruteri lamp. crit. t. III, *propter crepas* mutavit in *perterrcrepas* verbo nec rite facto nec a tonitruum perterrcrepo sonitu (Lucret. VI, 129)<sup>1)</sup> ad famae, quam vult adpellari, susurros eleganter translato. Postquam a Mercerio et Gerlachio restitutum ex libris est *propter percrepis*, Lachmannus in indice lectionn. hibern. univ. Berolin. a. 1848 de veterum poëtarum latinorum versibus Sotadeis praecipiens hunc ex eo genere versum a Varrone factum edixit:

*própter percrepis vocib' volitat aureis vulgi,*

*volitans* enim numeros non admittere. Contra quem ea qua decebat modestia disputavi nonnulla in Philol. VIII p. 569 sq., atque etiam nunc persuasum habeo non usum esse in Sotadeis suis Varrorem pedibus epitritis nisi uno secundo i. e. dipodia trochaica posita pro diambo. Ac nescio an admisso praeter hunc molosso omnis exhausta sit veterum Sotadeorum a recentioribus diversitas atque licentia. Sed id quidem nunc non agitur. Iam ego non tuebor quae ibi p. 570 variis verborum transpositionibus tentata non magis quam Kochianum illud (exercitatt. crit. p. 19)

*própter volitans vóbibus vulgi aíres percrepis . . .*

punctum tulerunt Vahleni coniect. p. 173 sq. post ambages nonnullas Sotadeum Lachmannianum obtinensis. Et facillimum sane est, id quod et ego et Vahlenus fieri posse vidimus, sic describere numeros trochaicos:

*. . . . . própter pércrepis*

*vocib' volitans aíreis vulgi . . . . .*

quos ut unice probavit Ribbeckius, ita ipsum Lachmannum quominus probaret prohibuisse videtur canon ille metricus comm. in Lucret. II, 719 p. 116 ab eo positus, quum negaret vocabula dactylica trochaei loco in versu poni debere. Cuius viri tanta tali in re auctoritas quod et me quamvis dubitantem et Kochium ita movit, ut ea proponeremus, in quibus inmoderata quaedam transponendi licentia merito argueretur, non mirabuntur qui ne Ritschelium quidem tum prorsus atque Fleckeisenum, viros hoc in genere multum praeclareque versatos, sustinuisse reputaverint adsensum cohibere. Et nunc sane contra hisci video, nec tamen, nisi quid me praeteriit, iam satis constare abrogandane ea lex sit an quibus denique exceptionibus circumscribenda. Certum videtur trochaicos octonarios omnino esse excipiendos, etiam septenariorum pedem primum recte excipi verisimile puto<sup>2)</sup>). Itaque si hac a parte satis tutae videntur esse illae quas supra exhibui septenariorum reliquiae, dubito tamen an aliud quid restet offendit, quod est in voce *percrepis* positum. Displicebat Vahleno sententia, maxime sic nude positum *vocabulum*. Putabatne verbi personam esse *percrepis*? Nam Eutychius quidem de discern. coniugat. II, 19 p. 2188, ab Oehlerio citatus, „sono autem sonas“, inquit, „et sonis, unde sonere infinitivus; et crepo is, unde et crepere“. At *percrepas* *voces* ipse Vahlenus scripsisset esse illas quidem nove dictas sed quae nec desiderarent analogiam nec abhorrent ab linguae et scriptoris ingenio. Quod ego verum esse multum abest ut negem; neque aut Lachmanni versus ne admisso quidem illo epitrito quarto stare aliter potest aut Ribbeckius adiectivum esse *percrepis* adfirmare dubitavit. Accedit quod, verbi persona secunda si esset *percrepis*,

<sup>1)</sup> Etiam incerti poëtae ap. Cicer. orat. 49, 164 verba „hábeo istanc ego pérterrcrepam“ (Trag. Ribb. inc. inc. fab. 142) videntur de tonitu dicta; quibuscum conlato versu Aeschyli Prometh. 923 βροντῆς θ' ὑπερβάλλοντα καρτερόν κιύπον ex Attii sive Io sive Prometheo desumptum id fragmentum esse coniecerim.

<sup>2)</sup> Hunc iam video a Bergkio quoque excipi Philol. XVII p. 39.

et Fama, quam consensu hic omnes intellegunt, conpellaretur parum probabiliter, et *vocabus* nomen epitheto, quod non debet habere nullum, privaretur. At vero percrepae voces quae sunt? quae percrepant aliquid, an quae aliqua re? Utut est, aegre crediderim dici aliquid potuisse, si umquam dictum est, percrepum absolute i. e. non addito casu ablativo, quo certe non caret comparatum illud a Vahleno nomen quod est *personus a um iis in locis, quos attulerunt lexicographi*, ut Valer. Flacc. III, 418 „*Io ovanti persona sistro*“, Petron. 120, 72 „*verno persona cantu virgulta*“, Mamertin. grat. act. Julian. 10 „*lata camporum balatu hinnitu mugitibus persona*“. Est quoque aliquid quod Nonius de crepandi verbo exponens eius verbi vel simplicis vel cum praepositionibus *per*, *con*, *in* compositi exemplis duodecim ab Ennio, Plauto, Terentio, Turpilio, Lucilio, Sisenna, Cicerone, Vergilio, Horatio petitis unum hoc a Varrone adiectivum idque duobus Lucilii et Ciceronis exemplis, in quibus verbum est percrepandi, adjunctum dicendus fuerit immiscuisse per socordiam ab hoc grammatico non alienam quidem illam in universum aestimantibus, sed hoc tamen loco in tanta verbalium exemplorum multitudine vix satis credibilem. Quae quum ita sint, de lacuna cogitare coepi, qua expleta versus fieret trochaicus octonarius, quo in genere et vocabulorum dactylicorum pro trochaeis positionum satis frequens usus est, ut Plaut. Trinumm. 821 *fluctibus*, 829 *párcere*, 835 *turbine*, 836 *frángere*, 837 *scindere*, Rud. 223 *ómnia*, 224 *quaérere*, 931 *návibus*, 933 *óppida*, et in primis conspicua esse solet illa veteribus poëtis latinis usitata adlitteratio quam vocant et paronomasia<sup>1)</sup>, quae quum hoc loco vel sic uti traditus est satis clare ad aures accidat, tum etiam clarior fit, si in hunc fere modum legitur:

*própter percrep[át proter]is vóbis volitans áireis volgi.*

**29.** (19 V. 47 R). Nonius II, 138 p. 86, 27: „Canum, vetus, anticum. — . Varro Eumenidibus: et ecce de improviso ad nos accedit cana Veritas, Atticis filoprae alumna.“ Idem III, 25 p. 242, 33: „Alumnos consuetudo, quos alas vel educes, vel eos, qui alunt, dici vult. — . — . Varro — . Idem in Eumenidibus: et ecce de improviso ad nos accedit cana Veritas, Attices philosophiae alumna.“

